

197632

DE BIBLIOTHECIS  
QUIBUS DAM VETERUM  
MEMORABILIBUS

# ORATIO INAUGURALIS

BIBLIOTHECAE SENIORATUS EVANGELICI  
GÖMÖRIENSIS,

DICATA HONORI  
ILLUSTRISSIMI DOMINI DOMINI  
LEOPOLDI E COMITIBUS ANDRÁSSI  
DE SZENT KIRÁLY ET KRASZNAHORKA,  
SACRAE CAESAREO REGIAR APOSTOLICAE MAJESTATIS CAMERARIO;  
*scripta et in splendidissima Panegyri dicta*  
DIE 26 JUNII ANNO MDCCXVI BETLÉRINI,  
A  
PAULLO WALLASZKY,  
ejusdem Senioratus Seniore, et Ecclesiae Oppidi Jolsva  
V. D. Ministro.

---

CASSOVIAE,  
TYPIS STEPHANI ELLINGER.



197632

---

*Illustrissimi Domini Comites Everetae Lite-  
rarum munificentissimi!*

*Vosque Auditores caeteri omnium Ordinum  
pro dignitate et meritis profunda pietate co-  
lendi!*

**I**lluxit tandem Sydere felici Dies illa desideratissima, cuius Phosphorum Votis ardentissimis, cum Poëta imploravimus dicendo: Phosphore! redde diem, quid gaudia nostra moraris? Dies, inquam, quo Aedes has splendidas, a TE, Leopolde Comes et Musageta liberalissime, sumtuose erectas et Bibliothecae Iti. et Venerabilis Senioratus hujus Comitatus Gömöriensis Evangelici magnanimiter consecratas inauguramus. — Quid, seu Consessu hocce splendissimo dignius, seu tempori convenientius, seu solemnitati, quam celebramus, accomodatius a me dici potest; quam si de re, quam habemus sub manu, pauca prolocutus fuerro, atque sic, unde initium cepit Oratio, illic desinat. Dicam itaque prius breviter de *Bibliothecis quibusdam Veterum memorabilibus*. — Bibliotheca vox Graeca (ut ab etymo ejus ordiamur) triplici sumitur apud Auctores significatu. Identidem significat Locum seu Aedificium, in quod Libri reconduntur, Armaria nonnunquam Scopo huic servientia, tertio, ipsam Librotum congeriem. Sensu postremo, Bibliothecas, cum ipsis litterarum studiis initia cepisse est vero simile. Nam simulac scire et sapere datum est, mox etiam scribere: et istud cum fructu fieri non potuit, nisi ut



Libri adservarentur et disponerentur, ad praesentium et posterorum usum. Sunt ideo et fuerant in ea opinione complures, jam ante Diluvium universale, Bibliothecas, saltim Analogon quoddam extitisse. a) Nos incertis et nullis fide dignis Testimonii nixi ad certiora progrediamur. Bibliothecae tales apud Veteres *privatae* primum, usibus propriis ab Eruditis Viris sunt institutae. Inter hos primus, quantum scimus, apud Graeos fuit Aristoteles, de quo Strabo Libro I-mo dicit: *Aristoteles primus, quos novimus, collector librorum fuit et reges in Aegypto (exemplo suo) docuit Bibliothecae structuram.* Apud Romanos, testimonio Isidori Hispalensis b) *Romam primus librorum copiam advexit Aemilius Paulus, Perse Macedonum Rege devicto: deinde Lucullus e Pontica praeda.* De hocce Lucullo addit Piutar-chus: „Laudanda ejus impensa et studium in libris. Nam et multos et eleganter scriptos conquisivit, eosque ut libera-liter paravit, ita etiam utendos dedit. Patebant enim omnibus Bibliothecae, et in Porticus adjectos atque exedras Graeci praesertim recipiebantur, qui velut ad musarum aedem, eo ventitabant, tempusque inter se jucunde tra-ducebant ab aliis curis liberi. Saepe et ipse cum iis ver-sabatur, et philologis se immiscebat, ad hos Porticus et Ambulationes veniens.“ Sequentibus temporibus fuere Ro-mae, in Bibliothecis privatis colligendis celebres inprimis Epaphroditus Chaeroneus, professione Grammaticus, quem Suidas tradit sub Nerone ad Nervam Romae vixisse, et as-sidue libros ementem, usque ad triginta millia collegisse, optimorum quidem et selectorum. Sed superavit eum in hoc studio Samonicus Serenus, qui Bibliothecam habuit, in qua sexaginta duo millia librorum censebantur, eodem Suida attestante.

Inter

- 
- a) Vid. Joach. Joan Maderi *Dissertatio de Scriptis et Bibliothecis ante Diluvianis.*  
 b) *Libr. VI. Cap. 3 seqq.*

Inter Publicas, commodo omnium, qui opibus illarum frui cupiebant, instituta est, aetate et numero prima *Alexandrina*, a Rege Ptolomaeo Lagi fundata, et a filio ejus Philadelpho in primis ac sequentibus Lagidis amplissime aucta, de qua Aulus Pelliū c) haec habet: „*Ingens numerus Librorum in Aegypto Ptolomaeis Regibus vel conquisitus (emtione) vel confectus (descriptione) est, ad millia ferme voluminum septingenta.*“ d) *Neque vero Aegyptiorum solum ingenii opes hae fuere; sed aliarum quoque nationum opera,*

- c) Noct. Attic. Libr. VI. Cap. ult.  
d) Docet id Suidas sub voce Zenodotus, quem tempore Ptolomaei Lagi, Bibliothecae Alexandrinae Praefectum fuisse scribit. Quaestio hic decidenda foret, quidnam per Libros vel volumina intellexerint Veteres, magna ne et spissa? vel quaecunque exiguae molis opuscula? Id quidem illi nuspam prodiderunt: sed ex verbis eorum per occasionem prolatis patescit, etiam opuscula paucarum plagularum intellexisse per Libros, aut Volumina. Sic Tullius quemvis Libellum Tusculanarum Quaestiem appellans, 3 Tusculanarum 6 scribit: *Quoniam duobus superioribus de morte et dolore dictum est, tertius dies disputationis hoc tertium Volumen efficit.* Auctor item Rhetoricorum ad Herennium Libr. 1. Cap. 27. *Quoniam satis hujus Voluminis magnitudo crevit; in altero libro exponemus.* Eadem ratione, aliquot Seculis post, locutus est S. Hieronymus passim. Nec vero dubitavit, Libellum de Ecclesiasticis Scriptoribus, mole utique pusillum, Volumen nuncupare: *si qui inquiens a me in hoc Volumine praetermissi sunt.* Cum itaque legitimus numerata esse, in Graecis Latinisque Veterum Bibliothecis 30 immo 400 aut 600 millia Librorum, non est, quod juxta morem nostri seculi, totidem, grandes codices animo numeremus. Libri nimurum et volumina fuerunt, quorum hodie centena aliquot, grandior noster codex complectitur. Dixeris forte, perire hac interpretatione, gloriam Veterum Bibliothecarum. At vero exigu etiam libelli, carissimo tum prae summa raritate constabant. Cf. Herm. Conringii de Bibliotheca Augusta Wolfenbüttel. Epistola ad L. B. Boineburg, inter Libellos de Bibliothecis et Archivis Virorum clarissimorum collectis a Joach. Joan. Madero, ex editione D. Schmidiana Helmstadji Anno 1702.



opera, in Linguam Graecam transfusa, Sacrario hūc illata sunt. Georg. Cedrenus e) dicit: Philadelphus Libros sacros f) Chaldaicos, Aethiopicos, Indos, Persas, Elamidas, Babylonios, Assyrios, Syros, Phoenices, Aegyptios et Romanos, aliosque diversilingves, in Graecam omnes converti curavit, in universum ad centum millia Voluminum, quae omnia in Bibliothecis suis Alexandriae reposuit. „Auctum esse numerum hunc successu temporis a Lagidis maximopere, Auctores fide digni asserunt. Seneca g) affirmat: *Quadrungenta millia Librorum Alexandriae arserunt, pulcherrimum regiae opulentiae monumentum.* Sed corrigendus est Seneca. Nam Josephus Flavius h) tradit, Demetrium Bibliothecarium aliquando interrogatum a Philadelpho, quot millia Librorum jam haberet? respondisse, *ducenta milia admodum, sed sperare brevi ad quingenta.* Usque dum, ut prius ex Gellio audivimus, ad septingenta millia excrevisset.

Apud Graecos *Athenis* primus Bibliothecam publicam Pisistratus Tyrannus constituit, de quo Aulus Gellius i) testatur: *Libros Athenis disciplinarum liberalium, publice ad legendum praebendos, primus posuisse dicitur Pisistratus Tyrannus.* Bibliotheca haec ab ipsis denique Atheniensibus varie aucta, usque dum Xerxes Athenarum potitus eam avexit. At vero iterum post multos Annos, Olympiade CXVII. Seleucus Nicanor Rex Syriae Athenas revehendos liberaliter curavit. Neque tamen perpetua fuit ei Athenis sedes. Nam Strabone teste et Plutarcho in Sulla: „*Athenis captis, eosdem Libros suos fecisse, Romam misisse, ibique*

e) Libr. XXII. Joseph. Flav. libr. 12. Philo. Orat. 12. de Moss.

f) Fabulam Pseudo-Aristeae, de versione V. T. Graeca, auspicio Ptolomaei Philadelphi a 72 viris facta, eorumque 72 cellulis et 72 diebus, quibus absoluta est, viri docti complures refutarunt.

g) de Tranquil. Cap. 9.

h) Antiq. Judaicar. lib. XII. Cap. 11.

i) Libr. V. Cap. 17.

■ ■ ■ ■ ■

ibique Tyrannionem Grammaticum iis usum esse.“ Hac pertinet *Byzantina*, seu Constantinopolitana, de qua Zonaras et Cedrenus perhibent: sub Basilisci Imperio „Bibliothecam ibi conflagrasse, in qua CXX. millia Librorum fuerant recondita: inter ea Draconis intestinum CXX. pedes longum, cui aureis Litteris Homeri Ilias et Odyssea fuerint inscripta.“ —

Inter maxime memoria dignas veterum Bibliothecas pertinet *Attalica* seu *Pergamena Asiae*, de qua Strabo ait „k) Eumenes (Attali filius) Urbem (Pergamenam) instruxit et donariis ac bibliothecis, uti nunc est, eleganter excoluit.“ Eam tamen post, ab Antonio, Cleopatrae amoribus fascinato, referente Plutarcho (in Antonio) gratificatum, *huic, Bibliothecam Pergami, in qua essent ducenta millia singulorum librorum, ac Bibliothecae Alexandrinae (sublata priori incendio) illatam esse.*

Procedamus porro ad Romanorum Bibliothecas publicas. Romae etsi Julius Caesar, Svetonio teste, destinabat Bibliothecas Graecas et Latinas, quam maximas posset publicare, data M. Varroni cura comparandarum ac dirigendarum: at non perfecit. Asinius Pollio, Vir Ordinis Senatorii eruditus, scribente Isidoro loco laudato „primus publicavit (id est, publicas constituit Romae, Bibliothecas Graecas Latinasque, additis Auctorum Imaginibus in Atrio, quod de manubiis (Dalmatarum, quos vicit) magnificentissimum instruxerat:“ Aetate sequentes fuere: *Octavia* nomini et memoriae sororis suae ab Augusto dicata, de qua Dio Cassius, in Anno ab Urbe condita 721 Libro 49 inquit. „Augustus Porticus bibliothecas, a Sororis nomine, Octavias dictas extruxit.“ *Palatina* porro, quia in Palatio ab eodem Augusto collocata fuit. Svetonius Cap. 39. de ea haec habet: „Templum Apollinis in ea parte Palatinae Domus excitavit, quam fulmine ictam, disideravit a Deo,

ha-



haruspices responderunt. Additae Porticus cum Bibliotheca Latina Graecaque.“ Id, quod factum esse Dio Libr. 53. Anno Urbis Condit. 726 affirmat. Reliquas, ut pote Tiberii, Trajani, Vespasiani, Hadriani, Tiburtinam prope Romam cet. consulto praetermittimus. De aliis vero, quas aetate Constantini M. Romae XXIX. fuisse, P. Victor in Descriptione Urbis hujus affirms, ut et de superiorum quantitate, excellentia, tacentibus Scriptoribus, nihil dicere habemus. Id vero non tacendum, commune hoc Bibliothecas excitandi studium, in abusum tractum esse, luxuriae potius et ornamento ac spectaculo, ostentationique, quam utilitati publicae, inservivisse. Seneca de Vitiis his, in Libro de Tranquil. Cap. 9. ita queritur inquiens: *Non in studium, sed in spectaculum comparabant, sicut plerisque ignarisi etiam servitium litterarum libri, non studiorum instrumenta, sed coenationum ornamenta sunt.* Et mox iterum addit: *apud desidiosissimos ergo videbis, quicquid Orationum, historiarumque est, et tecto tenus exstructa loculamenta. Jam enim inter balnearia et thermas, Bibliotheca quoque, ut necessarium Domus instrumentum, expolitur.* Sed non luxus solum et spectaculi causa, bibliotecas fuisse instructas; verum mentienda etiam eruditiois gratia, docet nos Ausonius, qui aceto Poëtico perfricat quandam sequenti Epigrammate:

Emptis quod Libris tibi bibliotheca referta est  
Magnum et Grammaticum te, Philomuse, putas.  
Hoc genere et chordas, et plectra et barbita conde:  
Omnia mercatus, cras citharaedus eris.

Non abs re, pro scopo nostro fuerit, de Bibliothecis veterum Christianorum Ecclesiasticis paucula afferre. Magnificis impensis plurimos, etiam optimos libros 1) congresserunt doctrina et eruditione excellentes aliquot Episcopi, qui

1) Svidas in Epaphroditio.

qui posteritati, magna laudis aemulations servientes, ut quisque fuit doctissimus; ita etiam majorēm operam in id impendit. Talis fuit *Pamphilus Caesariensis Praesbyter*, qui tantum selectissimorum librorum collegerat, ut cunctos, qui Bibliothecis instruendis hac tenus operam indefessam de-  
dissent, longe superaverit. Ejus in colligendis Libris stu-  
dium adeo Divus Hieronymus in Epistola ad Marcellum  
141. commendat: ut Demetrium Phalereum et Pisistratum,  
in sacro Bibliothecae studio aequare voluerit, et maximam  
partem voluminum Origenis, sua manu descriptsisse, san-  
cte affirmet m). *Caesariensis* hujus Bibliothecae meminit alibi  
etiam Hieronymus mm). Bibliotheca Hyerosolymitana ab  
Alexandro Episcopo congesta, adeo Scriptoribus fuit instru-  
cta: ut Eusebius Caesáriensis, Historiae Ecclesiasticae scri-  
bendae materiam ex ea desumserit. n) In Ecclesia Alexan-  
drina Bibliothecas in templis Christianorum et Libros ma-  
gna cura asservatos fuisse, testatur Athanasii Narratio in  
Libro de Persecutione Arianorum, in quo eos accusat, quod  
Libros Ecclesiae eruptos combusserint. *Hippone* quoque  
Ecclesia suam habuit Bibliothecam, teste Posidonio, in vita  
Augustini Cap. 31. Praedicatur etiam *Constantinus M.* quod  
Imperatorios thesauros effuderit in colligendis scribendisque  
libris sacris, quos gentiles, persecutionum temporibus, ab  
Ecclesia fere excusserant, 26 millium Voluminum. nn) Non  
minus laudatur etiam *Theodosius* junior eo nomine, quod  
collegerit sacros codices, et quae ab Interpretibus eorum  
scripta erant et scribebantur. Ac Eusebius Pamphili scribit,

suo

m) Eusebius Hist. Eccl. Libr. VI. Cap. 21. 32.

mm) Libr. de Scriptoribus Eccl. Cap. 3. 85. &amp; 118.

n) Testante ipso Eusebio l. c. Libr. VI. Cap. 21.

nn) Vid. Eusebius in vita Constantini. Plura de Bibliothecis Veterum Ecclesiarum profert Binghamus Lib. VIII. Antiquitatum Ec-  
clesiast. Cap. 7. § 12.



suo tempore, tot patrum scripta extitisse: ut nomina saltem eorum recensere sibi sit impossibile, qui quidem Orthodoxi fuerint, non adnumeratis infinitis aliorum scriptis ac Libris.  
o) Ac Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, Clementem Alexandrinum, Chrysostomum, Origenem, Basilium, Nasianenum, ac plerosque Patres alios, instructissimas habuisse Bibliotecas, non a vero alienum est: cum ipsi id fateantur, ac ex scriptis ipsorum id ostendatur p).

Jucundum fuerit, paucula quaedam de Ornato, quo Veteres Bibliotecas suas instruere solebant, addere. Esto, Isidorus affirmet, „peritiores architectas, neque aurea lacunaria ponenda in Bibliothecis putasse, neque pavimenta alia, quam e Carystio marmore: quod auri fulgor habebet, et Carisii viriditas reficiat oculos“ nihilominas, seu luxum, seu ornatum alium adhibitum esse, certum est. Boëtius in libro de Consolatione scribit: *Comptos ebore et vitro parietes fuisse*: Armaria seu loculi eburnei: vitro ipsa armaria in fronte clausa; ut a sordibus libri immunes praestarentur, et tamen adventantibus, per vitrum conspicui essent. — Multo majus eis accessit ornamentum ab imaginibus et statuis, ex diversis metallis, auro, argento aut aere, immo et e gypso ac marmore, pro cuiusvis possessoris copia, fusis. Virorum Eruditorum, quibus mortui primum, denique vivi etiam condecorabantur, Plinius testis est, inquiens: „Si quidem non solum (inscrienda) videntur voculae: libri, sed) ex auro argenteo, aut certe ex aere in Bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animae, in iisdem locis loquuntur. q) Asinii Pollionis primum hoc fuit inventum, de quo iterum Plinius inquit: „Nullum majus felicitatis specimen arbitror, quam semper omnes scire cupere, qualis fuit aliquis.

Asinii

o) Hist. Eccl. Libr. III. Cap. 27. Socrates Libr. VII. Cap. 22.

p) Vide inter alios, Mich. Neandri Traetatum, de Bibliothecis deperditis, ac noviter instructis.

q) Libr. XXXV. Cap. 2.

Asinii Pollionis hoc Romae inventum, qui primus Bibliothecam dicando, ingenia hominum, rem publicam fecit. An priores cooperint Alexandriae et Pergami reges, qui Bibliothecas magno certamine instituere, non facile dixerim: „r) Primus, cui viva posita est imago, fuit Marcus Varro, teste eodem Plinio s) dicente: Marci Varronis in Bibliotheca, quae prima in Urbe ab Asinio Pollio ex manubiis publicata Romae est, unius viventis posita imago est.“ Sidonio Apollinari eundem honorem contigisse, ipse gloratur Libro IX. Epistola 6.

Cum meis poni statuam perennem  
Nerva Trajanus titulis videret,  
Inter auctores utriusque fixam

Bibliothecae (nempe Graecas Latinaeque).

Quanti aestimatus sit honor hic, imaginem vel statuam suam poni in Biblioteca, patet ex facto Numeriani Caesaris, qui dum ei Statua in Biblioteca ponenda esset, non imperatoriae dignitatis nomine, sed ob ingenii et eloquentiae laudem, ibi locum invenit: Flavius Vopiscus, ita de eo: „Hujus oratio tantum habuisse fertur eloquentiae, ut illi Statua non quasi Caesari, sed quasi Rhetori decernetur, ponenda in Biblioteca Vlpia, cui subscriptum est: Numeriano Caesari, Oratori suis temporibus potentissimo.“ Etsi equidem (uti diximus) Virorum quorundam Eruditorum, vitae tempore imagines et Statuae sunt in Bibliothecas illatae: nihilominus tamen plerisque post mortem ita statuebantur ea ex causa, ob quam etiam antiquos, qui ante aetatem nostram fuere scriptores, magis, quam recentes et vivos, quantumvis bonos aestimamus. Viventes enim comittatur invidia, quae post fata obmutescit. Talis imago Ari-

lio-

a) Libr. XXXV. Cap. 2.

b) Libr. VII. Cap. 30.



stoteli posita est mortuo, de qua Cicero ad Atticum suum scribit Libr. IV. Epist. 9. malo in tua illa sedecula, quam habes sub imagine Aristotelis, sedere, quam in istorum Sella Curruli. Deinde, quorum ora, vultusque non exstabant, fictis tamen figuris exprimebantur. De fallacia hac Plinius Libro XXXV. Cap. 3. dicit: „mentiri clarorum virorum imagines, erat aliquis virtutum amor“ t).

Lustremus porro Loca, quibus Bibliothecae, apud Veteres instruebantur. Alii in *Templis* aut juxta ea, ut pote sacra ingeniorum opera, locis sacratis, ad majorem eis venerationem conciliandam collocabant. De Tiburtina, Aulus Gellius dicit: *promit e Bibliotheca Tiburti, quae tunc in Herculis Templo instructa satis commode erat* u) Svetonius porro in Augusto ait: *Templum Apollinis in ea parte Palatinae Domus excitavit, quam fulmine ictam, desiderari a Deo aruspices prouuntiarunt. Addita porticus cum Bibliotheca Latina, Graecaque, quo loco jam senior, saepe etiam senatum habuit.* Non minus Plinius in Historia Naturali testatur, *Statuam Apollinis, in Bibliotheca templi Augusti collocatum.* w) Non minus meminit Gellius (ut infinita alia exempla taceamus) Bibliothecae, quae erant in Templo Trajani, his verbis: *Edicta veterum praetorum, sedentibus forte nobis in Bibliotheca Templi Trajani* x) *sed non in Templis & Palatiis Principum solum, verum in balneis etiam & thermis* (ut supra ex Seneca audivimus) *deponebantur. Cur vero? existimo, quia otiosi tunc vacabant, occasioque erat legendi, vel audiendi. Sed etiam Villae ac praetoria hospitium eis praebuerunt.* Martialis Poëta, Libr. VII. alterius cujusdam Julii Martialis Villaticam talem commendat Bibliothecam:

Ruris

t) Vide plura de his, Egmundi Figrerii, de Statuis Illustrum ac cunis primis Doctorum Virorum in Veterum Bibliothecis tractatum.

u) Libro XIX. Cap. 5.

w) Libr. XXXIV. Cap. 7.

x) Libr. II. Cap. 27.

Ruris Bibliotheca delicati, vicinam unde videt Lector Urbem  
 Inter Carmina sanctiora si quis, lascivae fuerit locus Thaliae  
 Hos nido licet inseras vel imo, septem, quos tibi misimus libellos.

*In hortis quoque, Bibliothecas, aut hortos in bibliothecis instructos fuisse,* Cicero Libr. IX. famil. epist. 4. Auctor est, dicens: *Si hortum in bibliotheca habes, nihil deerit. Locus iste, aut in mendo cubat: ut loco: Si hortum in bibliotheca habes.* dicendum sit: si Bibliothecam in horto habes; aut si revera horti in bibliothecis sint intelligendi, pensiles illos fuisse, aut medium bibliothecam distinxisse oportet.

Merentur denique, quorum memoriam renovemus, Administri seu Bibliothecarii, quorum meritis Bibliothecae veterum conservabantur, et quos cognovisse potuimus, paucos inter plurimos. Ad munus hoc antiquitus, ut et hodiecum, doctissimi quique adhibebantur, qui in honore maximo, eo defuncti sunt, quod etiam in dies eruditione sua et nominis celebritate, honoratus ac venerabilius reddiderunt. Tales fuerunt, Zenodotus Ephesius et Demetrius Phalereus, qui Alexandrinae praefuerunt: Callimachus, Apollonus Alexandrianus, et Aristoxenes, qui Bibliothecam Alexandri Magni direxerunt: Melissus Grammaticus, de quo Svetonius: Cito manu missus, Augusto etiam insinuatus est, quod eleganter curam ordinandarum Bibliothecarum in Octaviae porticu suscepit: Marcus Varro et C. Julius Hyginus, quibus illa in Monte Palatino Romae demandata erat. Immo eorum etiam, et Latinae et Graecae Bibliothecae suos habuere praefectos. In marmore prisco quodam legimus: *Antiochus Titi Claudi Caesaris a Biblioteca Latina Apollinis.* Et in alio *C. Julius Falix, a Biblioteca Graeca Palatina.* y) Reliquos Bibliothecarum ministros consulto preterimus et servos.

---

y) Vide de his et aliis uberioribus Justi Lipsii de *Bibliothecis Syntagma* et Gabr. Naudaei *Dissertationem*, de instruenda Bibliotheca.



servos. Tales fuere: Anagnostes, Amanuenses, Notarii et Notariae, Librarii vel Antiquarii, Glutinatores, Pumicatores, Malleatores, Ornatores, Miniculatores z).

Non esset abs re, Fata postremo Bibliothecarum harum Veterum adversa etiam, quibus perire, tristi lustrare oculo: nisi pleraque locis superioribus praecoccupassemus. Multis scilicet periculis et damnis, immo et variis interitus speciebus obnoxia est Bibliotheca quaelibet. Et privatae quidem cuiuslibet duratio paene momentanea est. Stant illae plerumque et cadunt cum suis collectoribus, rarissime illis transeuntibus ad haeredes perinde philobiblos, aut fortunatos adeo: ut vitae tolerandae necessitas distractionem haud imperet. Docet id exemplo suo Aristotelis, Aemilii Pauli, Luculli, Epaphroditii Chaeronei, Samonici Sereni et sexcentorum aliorum privatae. Sed vero etiam publicae, quamvis potentum tutela securiores, obnoxiae sunt adversantis fortunae malis gravissimis. Sunt documento (ut recentiores non producamus) veteres omnes, quorum superius habuimus mentionem, adeo, ut praeter memoriam ipsarum supersit nihil amplius. Omnes diversissimis adversis fortunae casibus perire. Alexandrina longe omnium celeberrima, et quae matrix aliarum habita est (uti supra ex Seneca notavimus incendio, bello Pompejano, a milite Caesaris excitato conflagravit. Atheniensis a Xerxe rege victis civibus in Persiam avecta, et esto, fuerit per Seleucum post multum tempus restituta: tamen a Sulla (ut superius meminimus) Roman traducta. Byzantina eadem quae Alexandrina, fata subiit. De posteriore Alexandrina, per Cleopatram Attalica imprimis restaurata, Orosius a) aperte fatetur: detractas fuisse aedibus illis Alexandriae Bibliothecas per Christianos Zelo praepostero. Dum enim narrasset, quomodo

---

a) Qui plura scire volet, adeat Laurentii Pignorii *Schediasma*, de Servis Rei Librariae adhibitis.

b) Libr. VI. Cap. 15.

modo Julii Caesaris milites ptolemaeorum Bibliothecam, exusserint: de posteriore Cleopatrae addit: „Hodieque in Templo (Serapeo) exsunt, quae et nos videmus, armaria librorum, quibus direptis, exinanita ea a nostris hominibus, nostris temporibus, memorant: quod quidem verum est.“ Quod attinet Bibliothecas Romanas, immitiore illae fato interisse videntur (Neroniano nempe illo igne, quo universa propemodum Roma simul cum privatis Bibliothecis tantum non omnibus, in cinerem redacta est) luxuriosissimae illae bibliothecae, quae Octaviani Augusti auspiciis, non ita pridem institutae, publicataeque erant, nempe Asinia et Octavia. Nec vero post Neronem, ullam earum licet reperire memoriam. Secus ac sit de Biblioteca illa Palatina, quam in Apollinis templo Augustus consecravit: hujus enim tanquam adhuc integræ meminit Plinius b) etsi nondum ulla fuisset Bibliothecarum facta reparatio. Quod nempe Domitianus demum instituit, de quo Svetonius: „Bibliothecas incendio absuntas, impensissime reparari curavit, exemplaribus undique petitis, missisque Alexandriam, qui describerent emandarentque.“ Benignius hoc fatum mansit etiam *Vlpianam* seu *Templi Trajani*, a gentili principis nomine dictam, quas adhuc Constantini M. Aeo, P. Victor in Descriptione Romae memorat bibliothecas publicas *unde tringinta, et ex iis praecipuas duas, Palatinam et Vlpianam*. Tamen horum etiam utraque disperit, idque fortassis praeruditate partim, partim et superstitione Romam incolentium. De ipsomet sane Gregorio primo Papa, Joannes Sarisberiensis non vanus aut proletarius auctor Libro II. de *Nugis Curialium* ita scribit: *Doctor Sanctus ille Gregorius, non modo Mathesim pepulit ab Aula, sed, ut traditur a majoribus, incendio dedit probatae lectionis*

*Scripta Palatinus, quaecunque recepit Apollo.*

Alia jam adversa, quibus Bibliothecæ veterum eversæ sunt, fata, non amplius persequemur.

Atque

---

b) Libr. VII. Cap. 8. & Libr. XXXIV. Cap. 27.



Atque hic, Auditores honoratissimi, meta dictionis figura da erat: nisi amor litterarum patriarcharum, quae nos patriae filios in primis attinet, quaedam de Bibliothecis Hungariae antiquis dicere invitaret. Evidem non sunt hae superioribus aetate suppares, nam quas novimus, 350 Annos excedunt: nihilominus, et multitudine librorum et selectu ac pretio interno et cultu externo et loci, quo positae erant sanctimonia, et Bibliothecariorum eruditione, et quod praeципuum est, Auctoris majestate, illas multas adaequarunt, plurimas etiam superarunt; ideoque tota Europa fuerant celeberrimae. Immo quod plus, fata etiam funesta, quibus infeliciter sunt dissipatae, cum illis communia subierunt. Accedamus itaque proprius.

Atque principio quidem offerunt se nobis decantatissimae illae Budenses Corviniana, de quibus ego tanto agam brevius, quo plures in hoc argumento vires suas exercuere.

c) De auctore earum non est, cur agamus hic loci. Regem ipsum

- ) Inter eos, qui professa partim opera, partim ex itinere, de bibliothecis hisce scripsere, sunt: Naldus Naldius, qui tam soluto, quam ligato stilo eas eleganter laudavit. Manuscriptum authographen nescio, quomodo devenerit ad Gymnasii Evang. Thorunensis Bibliothecam, exqua desumisit exemplar suum Cel. Joan. Rezikius, jure haereditario ad Samuelem Székely utraque pallade spectabilem translatum: a quo secum communicatum subjunxit Cel. Matthias Belius Notitiae Hung. novae Tom. III. Nicolaus porro Olahus in Hungaria sua in Descriptione Urbis Budensis. Joannes Alexander Brassicanus in praefatione Saluiani libello de Providentia, praemissa, Petrus Lambecius in Commentariis, de Augusta Biblioteca Vindobon. Paullus Taffenerus in Descriptione Legationis Comitis Laeslei ad Portam Ottomanicam. Ex his vero desumisere sua: Justus Lipsius in Opusculo de Bibliothecis. Julius Pflugius in Epistola ad Vitum Ludov. a Seckendorff, de hac Biblioteca. Paullus Pater Trentsinio Hungarus Rector primum Gymnasii Thorunensis, post Mathematum Dantisci Professor, in Epistola Gratulatoria de munere Bibliothecarii Bibliothecae Auguste Guelpheritanae ad Rithalerum, sub titulo: Fanum autarkias, Serenissimi Brunsvicens. ac Luneburg. Principis

ipsum Matthiam fuisse, omnes norunt. De Anno exordii earum abstrusior est quaestio. Mihi videtur, punctum quod-dam ponere cum certitudine, expeditum non esse. Ut tamen circa Annum MCDLXV. vel ea ex ratione, quod hoc tempore Academiam considerit Budensem, statuatur, non contra eo d). His itaque missis; de studio Regis, modoque  
eam

Rudolphi Augusti gratia, publico emolumento Guelpherbyti, Michaeli Rittalero Modora - Hungaro clementissime reseratum, Paullus Pater Hungarus Civi Fautori suo colendo laetabundus vota solvit, faustum, fortunatum, felicem bibliothecae simul introitum adprecatur. Schediasma 4½ plagulis in 4 constat, cui Graeca, Hebraea et Latina Inscriptio subjuncta est. De Bibliotheca Budensi duabus prioribus agit paginis. Hermannus perro Conringus in Epistola ad L. B. a Boineburg de Biblioth. Guelpherbit. Matthias Belius in Litteratura Hunno - Scythica Lipsiae 1718 et Notit. Hung. novæ Tom. III. in Hist. Urbis Budensis, Guillel. de Berger in programmate, de Budensi Bibliotheca An. 1748 Lipsiae impresso. Paullus Fabri in Comment. de Augusta Biblioth. Budensi ibidem Anno 1756 cet., et qui optime, hac in re versatus est, Frater Xystus Schier Augustinianus in Dissertatione de Regiae Budensis Bibliothecae Matthiae Cervini, Ortu, Lapsu, Interitu, et Reliquis, Vindobonae, apud Viduam Georg. Ludov. Schulzii sine die et consule.

- d) Facile certe qui-que colliget, Regem tam sapientem non commisurum fuisse, quo novum hoc artium domicilium, tam necessario caruisset subsidio. Confirmat sententiam hanc Petrus Gas-sendus in vita Regiomontani, qui ait, Mathematicum hunc, vel propterea vocationem Matthiae & Joannis Vitezii (quod quidem factum esse anno 1467. supra ostensum est) acceptavisse; quod Rex Graecos Codices in expugnatione Constantinopoleos et Athenarum direptos, varieque per totam Turcarum ditionem distractos, quorum nempe Joannes cupidissimus erat, undique coemeret, ex iisque constitueret nobilem Budae Bibliothecam. Atque ex hac ratione, licet eam non expresserit, collocasse initium Bibliothecae hujus ad Annum 1466. Cl. Paullum Fabri in Commentatione supra laudata pag. 10. persvasus sum. Unde mirari subit Cl. Schierium proxime laudatum, qui primordia ejus



eam colligendi dicendum. Atque ante omnia quidem quicquid typis recenter inventis excudebatur, totum id Bibliothecae suae inferri jussit. Codicum dein MSS. magnam ex Bi.

ad An. 1476 una hac ex caussa ponit, quod anno hoc Beatrixem Rex conjugem duxerit, atque pag. 5. l. c. scribit: Hoc vero constituto, Paullus Fabri Annum 66. dicti seculi natalem hujus Bibliothecae statuens, nullo suffragatore se tuitus asserto suo non subsistet. Saltim ratio, quam Fabrius innuere videtur, ponderosior appareat, hac ipsa Schierii. Falluntur etenim et fallunt, qui existimant, nihil, aut parvum praestitisse litterarum commodo, ante Beatricis adventum, Matthiam, quod superiorius docui. Amplificatam in dies, atque adeo post Beatricis adventum, nemo dubitat. Nisi haec me, quam superiorius dedi, ratio, atque breve temporis tantae moli instruendae insufficiens spatium moverent: auctoritati id Petri Ranzani darem, ut crederem exordium ejus circa Annum 1486 poni debere. Ita etenim ille in Epitome Rer. Hung. Indice I. de laudibus Matthias agens pag. 18 edit. Tyrnaviensis inquit: Audivi praeterea superioribus diebus, dum Vienam versus iter ad te facerem, constitui nunc a te Bibliothecam ingentem et omni ex parte eximie, mirifice que ornatam, in quam ajunt, multa millia codicum non vilis, nec contemnendi pretii, id est, qui sint per pulchris exarati litteris, intusque et extrate et velle et jam cepisse congerere. Inter hoc ille teste se ipso in Praef. operis et Bonifinio l. c. pag. 647 Anno 1488 fecerat. Itaque tempus circa Annum supra dictum innuere videtur. Quis tamen credat, possibile esse per triennium ad An. 1490 Regi omortualem, tantum congerere thesaurum? Porro diversa est Alberti Molnarrii, nescio unde hausta opinio, initia haec ad Annum 1480 ponentis. Ita vero is in Dedicatione Discursus Georgii Czinglei, de incertitudine Rerum Humanarum, Hungarico Idiomate sub titulo: A'leg-föbb járól, mellyre e' Világ mindenkoron serényen és valóban vágyódik. Kolosvárat 1630 donati, ad Franciscum Darholtz ait: Es mi Országunkban is voltanak kegyes Fejedelmek, kik igen jól érvén a' Scholáknak és könyveknek az igaz bőltesség szerzésre használatos völtokat, így ekeztenek hasonló dolgokra: úgy mint Mátyás Király: ki Budán a' Királyi Collegiumnak már Fundamentomatis fel rakatta volt: és az akkor romlani kezdet Görög Országból és egyebünét számtalan szép drága könyvek

Bibliothecis Orientalium concessit partem. Dissipatis etenim eisdem, capta a Barbaris Constantinopoli, similium thesaurorum ditissima, aliisque orientis Urbibus, commodam nactus est Matthias occasionem, etsi non sine insanis summib[us], suam explendi cupidinem. e) Quos vero commode ex Graecia nancisci nequivit: scriptorum opera compensare studuit. In una certe Urbe Florentina, teste Brassicano, quatuor insignes librarios magnis impendiis alebat; quorum is unicns labor fuit, ut omnes melioris notae Auctores et Graecos et Latinos exscriberent. Nicolaus vero Olahus ul-

tro

hordatott az ott való Bibliothecába 1480 Esztendőben. Non mihi temperare passum quin apponam, quae Auctor reliqua, ad commendandum Principum Hungariae in litteras meliorem favorem habet. Azután, pergit ibi 1570 Esztendő tájban, Iffjú János Király (Joannem Sigismundum Principem Transilvaniae, perperam Regem dictum intelligit) vólt illyen szándékban ki amaz hires Philosophust Petrus Ramustis hivatta Párisból Fejér-vára. De az Blandrata Orvosnak noha el-iszonyította az bőltseket az oda meneteltűl. Annaakutánna Bátori István is hivatta idejébe Paduából Jacobus Zarabellát tanításnak okáért, de szándékának, Lengyel Országi Királyságában szakat vége 1586 esztendőben. De ez dolgot azok közül senki előbb nem mozdította az Fejedelmi bőltsességgel, igaz Religióval és az jó könyveknek szeretetivel fel-ékesítette, az Istenben már bóldogul elnyugodott Betlen Gábor Urnál: ki Testamentomában is az Fejedelemi Gymnasiumnak fondolására illendő Jövedelmet rendelít és költséget hagyott. Mellynek Felséges Fejedelem Ásziszonyunk (Catharina Brandenburgica) és Nagyságos Gubernátor Urunk (Stephanus Betlen) által való el-telyesedés és véghez vétele felől, Isten után, igen jó reménységben vagyunk.

- ) Cl. Fabri l. c. p. 10. perperam scribit, Matthiam, caesis barbaris ac ultro pacem flagitantibus reliquias Bibliothecae Constantinop., extorsisse. Insultat ei propterea Schier. l.c. pag. 14 inquiens: Ubi conditiones istae? ubi postulata haec leguntur? Sed libuit aliquid dicere, quod alius nondum protulisset. Imo vero protulit Anonymus in Re Litteraria Hungariae pag. 24 verbis plane iisdem, quem Fabrius secutus est.



tro procedit. Inquit etenim f) audivisse se a majoribus, Matthiam Regem dum viveret, aluisse semper scopo, quem Brassicanus retulit, triginta servos amanuenses, pingendi peritos, quorum se plerosque, illo mortuo nosse testatur. Praefectus his Felix Ragusinus Dalmata et ipse jam senex Olaho cognitus, qui non modo Graece et Latine, sed Chaldaice et Arabice doctissimus, praeterea in ipsa quoque pictura exercitatus sedulo animadvertebat, ne quis error, in libris describendis committeretur. Ingentem horum hominum copiam fuisse, vel ex eo appareat, quod teste Heltajo g) triginta tria aureorum flor. millia annuatim insumiserit in eos. Excellens liberalitatis Corviniana erga litteras monumentum! His itaque impendiis eum congressit thesaurum, quo aetas illa praestantiorem, selectiorem atque forte etiam ampliorem non vidit; nostra vero et ventura miratur et non sine intimo sensu doloris, casum ejus funestissimum deplorat. Determinare quidem librorum numerum Pflugius non audet; adiungit attamen, ad minimum quinquaginta voluminum, manuscriptorum pariter ac impressorum millia adfuisse. Quicquid vero ejus sit, copia erat, pro ratione temporis amplissima, in primis vetustate, raritate, pretio et cultu externo maxime conspicua. Haec quoque confirmat Brassicanus l. c. inquiens: „Inspexi libros omnes: sed quid libros dico? quot libros, tot etiam thesauros isthic inspexi. Dii immortales! quam jucundum hoc spectaculum fuisse quis credat. — Tantum erat hic antiquorum, Graecorum simul et Hebraicorum voluminum, quae Matthias ille Rex capta Constantinopoli, eversisque multis aliis amplissimis Graeciae Ur-

f) In Hungaria sua apparatu Beliano ad Hist. Hung. inserta Dec. 1. monumen. 1. pag. 9.

g) Loco cit. pag. 168. ita ait: Azon felül építette a' szép Libriariat, a' vagy Könyvtartó Házat. És abba szörze jeles könyveket, mind Deák, mind Görög könyveket. minden Esztendőbe harmintz három ezer arany forintot költe az Iró-Deákokra, kik Görög Országban és egyebüt könyveket le írnak vala.

Urbibus ex media Graecia in aestimandis sumtibus coemerat.  
 — Tantum erat hic Latinorum Librorum et veterum et recentiorum (procul tamen ablegatis omnibus Sophisticis) ut nusquam alibi, quod ego quidem sciam. — Vidimus isthic (id quod syllabo nostro recensere possum et oculata fide) vidimus integrum Hyperidem cum locupletissimis Scholiis, librum multis etiam censibus redimendum, vidimus gran- dem librum Apostolicorum Canonum, opus incomparabile: vidimus Theodoretum Cyrensem in Psalterium integrum, vidimus Chrysostomi, Athanasii, Cyrilli, Nazianzeni, Basili M. Gregorii Nysseni, Theophanis, Dorothei infinita opera. Vidimus Marcum Monachum, cognomento Anachoretam. Omitto Poetas, Oratores, Philosophos atque Histro- ricos, quorum hic immensam vim inspicere licuisset. Vi- dimus Auctores Graecos innumerabiles, infinitaque in Poetas fere omnes commentaria, nemini doctorum, aut paucis omnino antea visa.“ — Neque vero satis videbatur regi optimo tantum congesisse thesaurum: nisi eum cultu etiam et habitu externo celebratissimum redderet. Itaque, quo forte etiam doctorum virorum venerationem augeret, sedem ejus posuit in arce sua Budensi, omni elegantia ad majesta- tem exculta. Duplices ei dicatae fuerunt concameratae, excelsae, et in apsida curvatae aedes, triplici ex latere li- bris, quarto autem duplici janua; regi altera, altera hospi- tibus admittendis servituta, duplici fenestra, et ordine eo instructae, quo Graecos altera, altera Latinos contineret Codices. Docet id ipse Olahus I. c. inquiens: Qua itur ad Stationem, ex latere interioris Bibliothecae, ad sacellum D. Joannis perforatum, unde Rex sacrum audire consuevit, duae obviae sunt aedes concameratae: quarum altera volu- minibus Graecis, referta erat: altera interior continebat Co- dices totius Linguae Latinae, a primis Rudimentis, ad Ar- cem usque omnium scientiarum. Singulis scientiarum gene- ribus, peculiares constituti auro resplendentes foruli; quorum quemlibet velum sericeum coloribus et auro in vari- am



am formam distinctum, in quo index disciplinae, ad quam libri illi depositi spectabant, arcendo pulveri tegebat. In parte ima, quae pavimentum adtingit, collocata scrinia, artificiosissime elaborata, quibus volumina reliqua, quae in Pluteis superioribus destituebantur a loco, plura simul condebantur. Maxima parte colligata erant membranis, serico obductis, fibulisque argenteis, auro lucidis, omnia autem insignibus Regiis gentilitio nempe Corvo, et Hungaricis instructa. Intus imaginibus magna arte pictis, tam Matthiae Regis, quam aliorum illustrium et doctorum viorum exornata, magnificentiam vere Regiam pree se ferebant. h) Quae dum praesens Brassicanus spectasset: tunc certe inquit, non in Bibliotheca sed in Jovis gremio, quod aiunt, mihi esse videbar. Praeter hanc, de qua huc usque actum est, aliae quoque fuere bibliothecae, in diversis arcis locis positae, illa tamen multo inferiores: de quibus cum Scriptores taceant coaevi, nihil dicere habeo. Ingentem Mathematicorum extitisse Instrumentorum, diversarumque antiquitatum copiam, nemo facile, qui animam erga scientias has Matthiae novit, ambiget. Ante Bibliothecam construxit Cameram in apsida curvatam, ubi coelum universum; qua spectat ad austrum, conspicere licuit i). Huc Globum spectasse coelestem a duobus geniis tentum, non dubito, ad tempus electionis Matthiae in Regem Bohemiae compositum cum epigraphe: k)

Cum

---

h) Videatur Nic. Olahus l. c. Brassicanus l. c. omnesque reliqui hue facientes Scriptores: Qui Iconismum splendoris hujus Librarii spectare cupit, Lambecium adeat in Commentariis de Biblioteca Augusta Vindobonensi Libr. II. Part. II. pag. 994.

i) Bonfinius l. c. pag. 631.

k) Narrat Henricus Ranzow in Catalogo excellentium Astrologorum, Baronem ab Ungnad Maximiliani II. ad Portam Ottomanicam Legatum Anno 1572 (1573 legendum est) Budae globum hunc inter rudera invenisse.

—————

Cum Rex Matthias suscepit sceptra Bohemiae  
Gentis, talis erat lucida forma Poli.

Nihil jam addam de ingenti Statuarum ex diversis preciosorum metallorum speciebus fusarum copia: nihil de variis venerandae antiquitatis, elegantiaeque et ingenii Corviniani monumentis. Ad Bibliothecas itaque revertor, et ante quam eas penitus deseram, de ruinis earum et reliquis per pauca addam. Non diu eae post parentis munifici fata, salvae substiterunt: mox post mortem Matthiae, dum Joannes Corvinus filius ejus naturalis, Regnum Hungariae armis sibi vindicare voluisse, sed proelio victus, inter ea, quae amisit, etiam librorum qui verosimiliter Bibliothecae pars fuere, meminit Ludovicus Tabero, in Historia sui temporis, in haec verba 1). Vestis pretiosa Regis Matthiae, omnium circa gentium Victoris, gemmae, codices veterum auctorum, magno impendio in membranis exarati, coelatum aurum et argentum, vasa convivalia, quibus quidem aetatis suae omnes Reges superavit, caeteraque, quae in manus hostium venerant, direpta non modo a hostibus, qui jus belli avaritia ac crudelitate praeferre solent, sed etiam ut fere fit, quum fortuna mutatur, ab amicis, ac magna ex parte Matthiae Corvini beneficiariis, avaritia fidem vincente. „Toto denique Vladislai II. et Ludovici II. Imperii tempore, ad cladem usque Mohatsianam, vix, quod de fortuna ipsarum dicas secunda, habeas. Quin potius, multis patet indiciis negligentius habitas et de flore pristino remittere pedetentim coepisse. Majus exceptione praebet Testimonium Ursinus Velius, qui ait m) praecipuum inter haec (aulae Budensis magnificentiae genera) ornamentum Bibliotheca altissimo for-

1) Inter Scriptores Rerum Hung. Tomo II. pag. 174. ex editione Cl. Schvantneri.

m) In Historia de Bello Panonicō opera Illustris Consiliarii Adami Francisci Kollarī. Viennæ Anno 1762 edita pag. 16. in 4-to.

fornice, a Mattheia Rege sumptuosissime comparata, ac omnium lingvarum libris praecipue Graecis ac Latinis selectioribus referta, quam complures Bibliocleptae postea expilarunt, rege Vladislao ac filio, ut aliarum rerum negligentibus, ita et conservandae rei incomparabilis parum studiosis. "Et sane ea videtur in Regiam invecta consuetudo; ut si insigne vellet Rex eruditis (id, quod saepe fiebat) facere donum, in Bibliothecae involaretur sacrarium. Assertum compluribus potest probari exemplis. Unum altercumque in praesens, compendii causa afferam. Illustris Kollarus ad locum Velii supra laudatum nota z. elegantissimum ait adesse in Bibliotheca Augusta Viennensi Codicem Philostrati opera a Bonfinio in Latinum conversa continentem, a Joanne Gremperio olim possessum, qui heri sui manu adscriptum habet: mihi hunc Librum dari jussit Serenissima Regia Majestas Hungariae et Bohemiae Vladislaus, in praesentia D. Wolfgangi Pulsperger Camerarii Intimi et Generosi Stephani de Zinzendorffan. XIII. penultima Decembris. Illud ipsum docet Bohuslaus Hassensteinius de Lobkovitz, qui liberalitatem hanc Vladislai erga se laudat, et exmissionem Georgii Trapezuntii Librorum contra Platонem ab Augustino Olomutzenyi, cuius curae tum videtur Bibliotheca comissa, postulat inquiens: n)

Codice me Regum donavit maximus, alti,  
Dogmata qui lacerat vesano dente Platonis.  
Hunc mihi, si saltem non dignare precantem,  
Augustine, velim mitti, quo scire queamus  
Nos quoque, quanta novi fuerit dementia monstri.

Simile pariter est Elogium Ludovici apud Brassicanum  
l. c. Interea tamen, inquit ille, animum meum utcunque

con-

n) Vide Commentationem supra laudatam de Augustino Olomucensi pag. 137. Id dicendum videtur de Plutarchi quoque operibus, quae Hassensteinius frequenter ab Augustino efflagitabat. Vide Ps. Lucubrationes Orator. Bohuslai Hassensteinii pag. 94, 99, 104, 109.

consolari soleo, quod ex munificentia atque liberalitate, optimi Regis Ludovici quosdam Graecos Auctores consecutus sum, nec protritos, nec etiam aspernandos. Id quod, ubi in lucem fuerint editi (quemadmodum diis benevolentibus edentur brevi) res ipsa indicabit. Hos, si non omnes, plerosque tamen fuisse, quorum editionem paulo post promittit, non dubito, utpote: Chrysostomi diversa in Sanctos encomia, Origenis Librorum epitomen per Gregorium Theologum et Basilium M. digestam, Severiani Gabalorum Episcopi in Genesim Concioncs XIV. Gregorii Nissenii in Genesim Enarrationes, Basilii M. Hexaëmeron integrum, Nanianzeni, Basiliique, et Philonis diversa, Procli, Joannis Philoponi Grammatici et Manuelis Moschopuli Commentarios in Hesiodum, Jamblichum Chalcidensem de Rebus Pythagoricis ejusque Orationes Protrepticas, Nicomachi Arithmeticam et Geometricam, aliaque complura. Multum itaque Bibliothecas has tum jam a flore pristino amisisse, quis non videt? Quae vero mala, Prodromus totalis eversionis earum a Turca post illatae, fuere. De qua jam paucis dispiciendum. Plerique omnes, qui de eis memoriae prodiderunt, subversionem hanc ad Annum 1526 cum, post cladem Mohatsianam Solimannus Budam incolis panico terrore percussis, vacuam cepisset, referunt o). Sunt tamen alii, qui fatum hoc earum ad Annum 1541 capta, mortuo Joanne de Zápolya, astu urbe, collocant. Nituntur hi eo in primis fundamento, quod omnes Scriptores referant, Solimannum anno 1526 urbe licet foede exusta, arci tamen pepercisse p). Salva itaque arce, salvas concludunt Bibliothecas. Est inter

o) Brassicanus l. c. Olahus in Chronico brevi et Hungaria sua apparatu Beliano Dec 1. mon. 1. inserta pag. 39. Ab his desumunt alii.

p) Est pro Sententia hac Auctor sub Cl. Schier l. c. pag. 38 qui tamen in eo nimius videtur, quod coaevis Scriptoribus omnem fidem abjudicare intendat. Brassicanus certe Viennae existens atque



ter hos Martinus quoque Schaeuseus jam coaevus, qui postquam urbem expilatam, flamasque tectis subjectas in ruinis Pannonicis Libris IV. comprehensis Wittenbergae Anno 1571 in 4-to impressis, memorat; interitum Bibliothecae ad hunc Annum deplorat.

Hic et Corvini totum cantato per orbem  
Bibliotheca perit, non sacra volumina Patrum  
Effugere rogum, serpens neque flamma pepercit,  
Causidicis Baldi tricis, nihil scripta Galeni  
Huicce malo auxillii medicamine plena tulere.  
Eheu! quam multo parti sudore labores  
Impensisque, una perierunt turpiter hora.

Mihi perpensis sententiae utriusque Argumentis vero videntur simillimum, vice neutra, rapaces effugisse hostium manus miseram. Anno etenim 1526 etsi quidem igne in arcem non saevit tyrannus; non temperasse tamen sibi a rapinis, jam statuae illae tres nobiles, quas Constantinopolim devehendas, in Hypodromo collocandas curavit, condocent. Et quo modo potuissest avarissimum hominum genus volumina aureis argenteisque involuta laminis relinquerre intacta? In quantum tamen malum id se extenderit, nemmo determinabit. At illa tum tantum non esse, uti initio fama ferebat, et suspicax scriptorum arripiebat animus, lumbens admitto. Majorem saltem his eos, qui vel biennio illo, quo Ferdinandus Budae rerum potitus est q) vel in altera a Solimanno Urbis invasione, atque temporis successu, diver-

Olahus licet remotior in Belgio, facile haec scire poterant. Multi etiam erudi viri, post discessum Soliuanni, Budam redierunt, damnaque a tyranno data spectaverunt, a quibus illi, si non ipsi viderunt, cognoscere poterant.

q) Multi ejus, dediti litteris Antlici Urbem hanc id temporis negotiorum Regis caussa adire solebant, quos non recessisse vacuos, si quid' mercium hujusmodi asportari poterat, facile est divinare.

diversis tempestatibus perierunt, constituisse numerum, pro certo fere sumserim. Quaenam fata reliquias has sesqui fere seculo, donec Turcicam cum urbe cogerentur ferre ty rannidem, manserint: divinabit quisque facile, qui barbarorum erga litteras meliores perspèxerit studia. Lambecius Auctor est, in antrum quoddam, ausu nefando detrusas negligentissimeque habitas, licet ne Christianis paterent, omni industria immo pertinacia clausas, situque et pulvere obductas murium et tinearum escam fuisse. r) Tanto itaque magis non docti modo, sed Principes etiam Viri, omni ad nisi sunt studio et liberalitate, quo has barbarorum perrumperent catastas: vel, id si nequirent, residuas ex naufragio tabulas per Hungariam, Graeciamque disiectas colligerent. Qui prius hoc tentarunt, maximus est, Leopoldus ipse M. Imperator, qui per Leslaeum Comitem, suum Constantino poli Legatum, emancipationem earum, enixissime, frustra tamen contendebat s) atque prius jam Petrus Pázmány Cardinalis et Archi-Episcopus Strigoniensis 30 florenorum mil lia,

Re vera autem ita factum esse, multis exemplis, in primis a Joanne Fabro magnae apud Ferdinandum auctoritatis, tum patrat is docet laudatus Schier incitata Dissertat. de Bibliothecae Budensis, Ortu, Lapsu, Interitu et Reliquiis pag. 46 lit. b) cet.

r) Vide haec fuse narrantem Lambecium Commentariorum Bibliothecae Aug. Vindob. Libr. II. Cap. 9. Paull. Taffernerum in Descriptione Legationis Comitis Leslaei Constantinopolim Anno 1665. pag. 15. atque ex his Cel. Belum in Litteratura Huno-Seythica pag. 44. seq. et Notitia Hung. Tom. III. §. 62, 63. pag. 365. Interim non est in promtu, quandonam, qua de causa, et a quo libri hi in cryptam reconditi fuerint? Vero est simile, incendio saeviente (quae frequenter Budenses, in primis Anno 1606 arcem, uti Krekitzius in Descriptione Hungariae pag. 538 docet, hor rende vexarunt) eo abjectos, neque unquam post a barbaris pro tractos, loco debito restitutos fuisse.

s) Post diversas Turcarum tergiversationes, vix id Legatus obtinere potuit, ut Lambecio, quem Imperator Budam ea propter miserat, adiutus ad antrum hoc patuerit. Vide eundem Lambecium l. c. et Taffer nerum l. c.

■ ■ ■ ■ ■

lia, genus hominum ceteroquin avarissimum, si posset emolliturus, successu tamen itidem nullo ~~lurgo~~ premisit t). Multo vero illi feliores, qui modo, saluti earum occurrerant posteriori. Horum ex numero sunt, Joannes Cuspinianus, Joannes Faber, Joannes Sambucus decus Hungariae immortale, quorum pleraque haec cimelia Palatinae Vienensi, sunt illata Bibliothecae u). Quin immo nec principes et heroes scrutari has gemmas, infra dignitatem suam possum, sunt arbitrati. De Augusto Duce Brunsvicensi Conringius Epistola, de Bibliotheca Guelpherbit. ad Boineburgum haec scribit: In quorum (Codicum MSS. varii generis) conquistatione, etiam illam felicitatem sibi contigisse impense laetatur Princeps optimus, quod, dum ardua serenissima Domus negotia, Rudolphum II. et Ferdinandum XI. Imperatores Vindobonae adire compulissent, in Hungaria laciniam c. leberrimae quandam Bibliothecae Matthiae Corvini sibi comparare, quamvis magno aere concessum fuerit w).

Facile

- t) Discrepant in determinanda pretii promissi quantitate Scriptores: Lomajerus in opere de Bibliothecis p. 157 et Pflugius l.c. probabiliter rumore populari illud metiti, 200,000 Thalerorum adsignant. Cl. Fabrius l.c. pag. 16. §. XI. incredibile dictu! totidem millia nummum Aureorum tribuit. Probabilius est, quod Anonymus in Re Litteraria Hungariae pag. 27 de 30,000 florenorum rhemensium loquitur. Quod ipsum calculo suo accurato approbat. Nec Schmitt V.C. in Archiepiscopis Strigeniensibus Tom. 11. pag. 114. ex eo vero Schier pag. 5. lit. c).
- u) Alii, inter quos etiam laudatus Schier pag. o. Busbequium queque inter Collectores hos referant. Vix tamen doceri poterit. Saltim inter eos, quos a Busbequio Bibliothecae Viennensi transcriptos recensuit Lambicus, vix ullus est, qui indicum quoddam Bibliothecae Budensi, praecipue Insignia Corviniana, qui est character libros hos ab aliis discernendi, quibus omnes signati fuerunt praecipue opportunus.
- w) Cathalogum omnium Corvinianorum, quos Guelpherbitana, munificentia hujus Principis tenet, dedit laudatus Pflugius l. c. in appendice. Neque tamen omnes ea, quam Conringius praedicat, ad manus serenissimi Possessoris devenerunt, post cladem Bu-

Facile vero industriam reliquorum, si non superavit, saltem  
aequavit Carolus Franciscus Comes Marsigli, qui ingentem  
Turcicorum, Arabicorum, et aliorum Orientalium Codicum  
copiam praesens in expugnatione ultima Budae conquisiverat  
x). Atque ita inter paeclaros hos virorum eruditorum con-

ten-

danam via. Stellarium Joannis Tolhopf, Matthiae Regi inscri-  
ptum, quod de motibus Planetarum et Stellarum fixarum se-  
cundum Copernici (uti Cl. Burckhardtus loco mox citando in-  
quit, quanquam ut id fieri possit, chronologia non patitur, cum  
Copernicus Anno natus sit 1472) hypothesim agit, codex mem-  
branaceus splendidissime exornatus a Serenissima Marchione  
Onoldiensi Sophia, Georgii Friderici Vidua, nata vero Principe  
Brunsvicensi, dono ei datus est: quod quidem ipse Princeps  
Augustus manu propria in fronte libri testatus est. Hoc ipsum,  
suspiciatur Jacobus Burckhardus in Hist. Bibliothecae Augustae  
Wolfenbütt. Lipsiae 1744. typis Breitkopfianis excusae Tom. I.  
pag. 101. litt. b de operibus Fontii Codice pariter pergameno,  
serico raso rubro involuto, et variis picturis, inter quas ipsius  
Matthiae Insignia, Fontii, aliorumque Icones, exornato: ega-  
vero de Alexandri Cortesii Poëmate de Laudibus Matthiae bel-  
licis, quo devenisse in Bibliothecam Georgii Marchionis Bran-  
denburgici Onoldini ex Budensi, Vincentius Obsopaeus auctor  
est in Dedicatione ad Sebastianum Hallerum, editioni Poëmatis  
hujus anni 1531 praemissa. Modum vero delationis librorum ho-  
rum, et uti proclive est suspicari, plurimum etiam Onolsbachum,  
concipiet quisque, qui sciverit, Georgium cognomento Pium la-  
dati Georgii Friderici Patrem, Ludovici II. Regis Hungariae Tu-  
torem, Vladislai vero Patris ex Sorore Sophia nepotem fuisse.  
Facile itaque a Regibus his in Bibliotheca ut supra dictum, dis-  
sipanda, profusis; quos cupiebat, accepit. Marsilius vero Ficini  
Epistolæ delatas eo esse dono Thomae Lansii Professoris Tu-  
bingensis, ex litteris ejus ad Principem Augustum an. 1613. dto.  
15 Martii scriptis patet, quas vide apud Burckhardtum l. c. Tom.  
I. pag. 101. et Tom. II. pag. 169.

- x) Quatuor aureorum millia obtulerat pro MSS his, filio Ludovi-  
co Ferdinando, Imperator Leopoldus, antequam ob res Brisaci  
male gestas gratia ejus excidisset. Possidet nunc thesaurum hunc,  
Institutum Scientiarum et Artium Bononiense, ab ipso Marsiglio  
Anno 1714 fundatum. Vid. Keissleri neueste Reise durch Deutsch-



tentiones, illuxit sydus illud felicissimum, quo gloriosissimus Leopoldi M. Anno 1686 auspiciis, Buda Turcis erepta, quicquid hic loci fuit reliquiarum, in Imperatoris devenit

po-

land, Ungarn, Böhmen, die Schweitz, Italien cet. Tom. II. pag. 531. Complures hujus speciei libellos per Europam dispersos, in Bibliothecis publicis & privatis conservari, a diversis monitum est. Ex multis quasdam, quae succurunt notabo. Jenensis Academica, Codicem Membranaceum sub titulo: Baptistae Guarini libellus ad nobilem Adolescentem Masseum Gambalim, de ordine docendi et studendi, possidet Gymnasium Evang. Thorense, Naldii de Laudibus Bibliothecae Budensis Carmen a multis jam accurate descriptum. Lipsiensis Senatoria gloriatur praestantissimo et quantum constat unico in orbe, Constantini Porphirogeniti de Ceremoniis Aulae Byzantinae Libr. II. quem ex Budensibus esse viri eruditum non sine fundamento suspicuntur. Vid. Joan. Frid. Jugleri Bibliothecam Hist. Litter. Struvianam Jenae 1754. Tom. I. pag. 523. Noluit cimelion hoc invideere eruditis Illustris Mascovius. Itaque stimulavit ad opus rarissimum edendum, Joan. Henr. Leichium Graecae linguae & humaniorum litterarum egregie peritum. Qui cum operi immortuus fuisset, negotium reliquit conficiendum Joan. Jac. Reiskio V. C. cuius Industria Tomus II. in folio, notis criticis et historicis utriusque instructum prodiit. Mabillonius porro in Itinere Germanico ex edit. Fabricii pag. 6 testatur, Vesantione apud Abbatem Boisettum plures extitisse Codices ex Budensi, in Granuellanam translatos e. g. Lactantii de Religione, Titi Livii secundum volumen ex tribus, quorum duo reliqua ex exemplari Florentino desumpta sunt Anno 1452 Cf. Cl. Juglerus l. c. Tom. I. p. 178. Berolinensis Regia possidet Svetonium: Electoralis Dresdenis Isidorum Hispalensem (in cuius prima plagula Insignia Hungariae cum Corvo Matthiae, in ultima sequentia conspicuntur verba: Joannes M. Cynicus fieri curavit) aliosque triginta numero circiter, omnes Codices Mspt. Corvo Matthiae insignitos. Coronensis in Transylvania itidem Mspt. complures habuit: qui tamen Anno 1689 ad unum omnes, uti me Georg. Draudtius V. C. Gymnasi Coronensis Rector docuit, sunt incendio deleti. Cf. Joan. Graffii Transilvani Dissertatio de Transylvania. Alteris 1700 pag. 28. Neque dubito plures in Coenobiis, vel aliis Bibliothecis latere: in re tamen obscura, nihil dicere certi habeo.

potestatem y). Quam vero infra spem comparuerint eae tenues, Catalogus ab Illustri Pflugio vulgatus docuit. Vix trecenti numerabantur, iisque etiam plerique per exigui usus: qui vero proximis illico ab expugnatione Urbis diebus, Vin-dobonam devecti, Palatinaeque Bibliothecae illati, securum reperierunt salutis asylum z).

## Prae-

- y) Neque tamen hic, dum jam proximi ad portum fuissent, rabiem effugerunt militum. Docet hoc Pflugius l. c. inquiens: Non va-nus rumor nobis retulit, militum (inter quos fuisse Marsiglum ipsum supra laudatum, libri arguunt) rapaces manus non abi-nuisse ab hoc qualicunque thesauro. Nec illud negauerim, quo-dam Turcas eruditos proprium in usum codices nonnullos ex-inde in Musea transtulisse, qui postea in praedam militum gre-gariorum cesserunt.
- z) Scripserat id iam olim occasione, quam supra retuli Lambecius-vix tamen ulli persuadere poterat. Quin potius plerique suspi-cabantur, eum, situ, pulvere et squalore, quo coopertos eos fuisse scribit, deterritum diligentiam in perscrutandiis volumini-bus debitam non adhibuisse. At vero rem ita habuisse docuit eventus. Observandum interim est, Catalogum librorum in ex-pugnatione Budae ultima repertorum, quem pater quidam e S. J. Missionarius apud Legionem Salmianam campestris primis illico diebus confecit, Pflugius vero l. c. evulgavit, non meros, qui a Matthia Bibliothecae illati fuere libros continere; cum post ejus aetatem, immo jam forte Turcis Budae rerum poti-entibus, alii, qui aetatem non ferunt Matthiae admixti sint. Tales sunt: Ambrosii Calepini Dictionarium, Erasmi Adagia, Lutherus adversus Decreta Conciliorum Pontificumque. Quid statuendum sit de Bibliis Hungaricis dubius haereo. Licet ete-nim plerisque versio non sit cognita, vetustior Carolyana, quae non uti Schier. pag. 36 lit. b) ait, ineunte Seculo XVII. neque primo editore Molnario Francofurti, sed Visolyni prope Casso-viam Anno 1589 typis Valentini Manskovitz, sumptus suppeditantibus Magnatibus quibusdam reformatis, inter quos praeci-pius Comes Stephanus Báthori, ab ipso Carolyio est procurata; tamen non id ab ingenio Matthiae abhorruit; ut tanto beneficio opera alicujus eruditii, Hungaros suos beasset, typisque Buden-sibus exscribi curasset. Immo vero certum est, jam prius La-dislaum Báthori, qui deserto (ut ajunt) seculo, in Claustrum

■ ■ ■ ■ ■

Praefectorum postremo , quibus Bibliotheca haec, salvae dum res fuere , curanda est concredata, vindicanda memoria. Quanto nempe magis intendebat Matthias, quo opus suum, non cultu solum externo , nitoreque, sed bonitate etiam, selectu, immunitateque a sphalmatum maculis evaderet insigne: tanto diligentiori providebat opera, ut viros undiquaque doctissimos, qui muneri cum dignitate sustinendo pares forent, thesauro huic praeficeret. Quod sa- no affatim est assecutus; si ab iis, quos novimus, ad reli- quos concludere liceat. Primus omnium, vel saltim, quo- rum nomina ad memoriam nostram pervenerunt, *Galeotus Martius Narniensis Italus fuit a). Vir corpore obesus, in-*  
genio

---

S. Laurentii prope Budam secessit, ibique anno 1456 mortuus est, ex vulgata, Biblia Hungarice, quod laudatus Draudius perscripsit transtulisse. Cf. Petri Bod. Historia versionis Bibliorum Hungariae, patro idiomate scripta. Sed de Budensi hoc exemplo, dubium tolleretur facile, si libri inspiciendi daretur occasio; quo ætas ejus ex typis, aliisque notis criticis, etiamsi Annus editionis deficiat, sub examen vocari possit. Si Viri hujus laudati Athenae Hungaricae ad manus forent, forte plura ad scopum meum elicere possem: quemadmodum etiam de Scholis, cum aliis, tum Claudiopolitana, et Coronensi Dominicanorum Matthiae aetate, ex quarum illa prodit, Nicolaus de Mirabilibus, Hungarice Tsuda Miklós, de quo supra, ex hac vero, Seculi jam XVI. initio Hontherus et Wagnerus, viri clarissimi et doctissimi.

a) Vitam ejus vide descriptam apud Paulum Jonium. in elogis viro- rum eruditione clarorum, ex hoc desumsit Schierius l. c. p. 18 ubi etiam crisi subjicit, quae ab aliis falso de eo dicta sunt. In eo tamen labitur, quod l. c. p. 17. Thadaeum Ugolettum, Galeoto iu Praefectura hac praeponat: cum tamen certum sit, Galeotum. ut is in dictis et factis sapienter Matthiae Cap. 27 ait: non diu, post causam Joannis Vitézii, qui Anno 1471 eve- nit, advolafse ad Regem. Ugolettum vero teste Naldio, in laudibus Bibl. Bud. edit. Beliana p. 597 §. 4 post nuptias cum Beatrice Anno 1476 celebratas evocatum fuisse. Neque videtur Ugolettus scopo cu- randae Bibl. primum in Hung. evocatus; quanquam temporis succe- su, hanc ejus operam fuisse verum sit, cum laudatus Naldius solum dicat:

genio tamen elegans ac facetus, ideoque Matthiae Regi ca-  
rissimus. In Hungariam veniens, inter familiares primo  
Joannis Vitézii Archiepiscopi Strigoniensis versabatur, atque  
quod probabile, Strigoni bonas litteras docuit b). Vocatus  
post ad Regiam, Bibliothecae praefuit, et forte Joannem  
Ducem Liptoviae instituit c). Redux circa Annum 1487 in  
patriam, ad Montem Anianum circa Ateste angvina suffoca-  
tus interiit. d) Opera ejus, quae ad scopum meum spectant,  
sunt sequentia: 1) De Homine Libri duo, ad Joannem Vi-  
tézium Archiepiscopum Strigoniensem scripti. 2) De Incor-  
gnitis vulgo Liber, post Matthiae Corvino inscriptus. 3)  
De egregie, sapienter et jocose dictis et factis Matthiae Re-  
gis ad Inlytum Ducem Joannem ejus filium. Secundus est  
*Thaddaeus Ugolettus Parmensis* e) a Matthia ad docendum  
Prin-

Pannonias doctas sese Thaddaeus in oras  
Contulit; ut puerum caperet: qui Regius esset  
Filius, haneque docens satis inflammaret ad artes  
Ingenias —

Suspicio autem non abs re, bis Galeotum in Hungaria fuisse.  
Primum apud Joannem Vitézium Archiepiscopum Strigoniensem, cuius  
se familiaritate diu usum esse dicit l. c. Cap. XXX. Rediit interea in  
Italianam, ibique opus de Homine, uti ex Epistola Nuncupatoria ad  
Vitézium patet, et id quidem Anno 1471 immediate ante casum hu-  
jus praesulis composuit. Vid. laudati opusculi edit. Basil. Anno 1517  
pag. 36. Mortuo Vitézio vitaeque disserimine ob Librum de Incogni-  
tis, superato, uti l. c. Cap. XXVII. testatur, ad Matthiam, cui eum  
postea dicaverat, munus Bibliothecarii auspicaturus, confugit.

- b) Retur hoc Sigismundus Torda in Epistola Nuncupatoria ad Maxi-  
milianum II. Imper. libro Galeoti de Dictis et Factis Matthiae  
praemissa.
- c) Idem ibidem, atque ex eodem libello primum est colligere.
- d) Vid. Jouius l. c. Apparasse eum redditum circa hoc tempus, Matthia  
subjugante Austriam, ipse Galeotus docet. l. c. Cap. XXVIII.
- e) Naldus Naldius l. c.



Principem filium evocatus, cui curanda (post discessum Galeoti reor) Bibliotheca quoque tradita est. Superavit aetate Matthiam et redux in Italianam editione auctorum, donec moreretur, occupabatur. Postremus sub Matthia est Felix Ragusinus Dalmata f) Graece, Latine, Chaldaice et Arabice doctissimus g) Vladislao regnante, Augustinum Olo-mucensem, munus hoc administrasse; supra sum jam suspicatus. Complures sane ex Bibliotheca hac Libros, cum eruditis communicasse, passim legitur: quod fieri vix potuisse, nisi ut Custodi aditus ad eam liber patuisset h). Hunc qui exciperet, vix constitutum fuisse, more Vladislai et Ludovici negligenter habendi Bibliothecam, ut credam, ad-  
du-

---

f) Videatur Nicolaus Olahus superius laudatus in Hungaria sua l. c.

g) Inter Bibliothecarios hos, multi referunt Bartholomeum quoque Fontium. Frustra. Non ille Hungariam, tanto minus Bibliothecam Corvini usurpavit oculis: Saltim nemo huendum testimonio firmavit. Laudatus Schier l. c. pag. 21 lit. b) adducit Lomeierum in opere de Bibliothecis, et Menkenium in notis ad vitam Angeli Politiani pag. 74 testes oppido minus suffientes, tum aliis genuinis non nitantur. Videntur sibi viri celeberrimi imponi passi esse a Georgio Remo, qui Operibus Fontii Francofurti ad Moenum An. 1621 a se editis sequentem praefixit titulum: Bartholomei Fontii V. C. Familiaris Matthiae Regis Pannoniae Opera, atque id ipsum in Dedicatione ad Augustum Ducem Luneburg. repetiit: illud tamen ex operibus ipsis non apparet. Imo ex Epistola Nuncupatoria ad Matthiam Corvinum Thaddaeo, seu Locis quibusdam Persianis retractatis praemissa apparet, opusculum hoc, Florentia ad Regem esse exmissum.

h) Jam supra observavi, Lobkovitzio, Georgii Trapezuntii Libros contra Platonem, a Rege Vladislao per Augustinum datos fuisse. Ita Joach. Vadianus edidit Argentorati Anno 1513 Cardinalis Bessarionis orationem de SS. Eucharistiae Sacramento, et quibus verbis Christi corpus perficiatur, atque ejusdem Epistolam ad Graecos, utramque ab Augustino secum communicatam, quarum illam, e pulverulentis Pannoniae Bibliothecis, hanc vero ex Eudensis regiae libro sincerae fidei eruerat, recensente Lambachero V. C. in Biblioth. Antiq. Civ. Vindob. Tom. I. pag. 103 Coll. Schier l. c. pag. 30 lit. b).

ducor facile. Saltem nullam ejus reperies mentionem. Nisi forte cum Severino Sculteto superius conjectante, Vitum Vinshemium, aut Simonem Grynaeum ad eandem classem referas.

Sed neque Ecclesiasticis Bibliothecis amplissimis his temporibus carebat Hungaria. Diligenter nempe aemulatus est Patres Veteres, Joannes Vitézius Archiepiscopus Strigoniensis, qui ut in reliquis eruditionis partibus, studiose imitatus Regem Matthiam, ita in Bibliotheca quoque condenda et ornanda tantam brevi congescit: ut cum praecipuis privatarum extra Hungariam quoque certare de principatu potuisse; eamque in Arce Strigonii, magnifico ab eo opere exulta, constituit. Scriptorum Graecorum et Latinorum in gentem complectebatur numerum. Galeotus Martius in Dedicacione Libri II. de Homine, profusam munificentiam eruditii hujus Praesulis sequentibus verbis dilaudat: Non referam, quantis impensis construxerit illam omnibus fere mortalibus celebrem Bibliothecam, in quam, omnium disciplinarum monumenta congescit. Cultum externum, repositoria et ebore et ebano atque auro fulgentia declarabant i). Diversi picturae generis, eo majorem conciliabant loco elegantiam. Bonfinius id ita describit: „Triclinium in Arce amplissimum euexit, prominens vero ante triclinium e rubro marmore ambulacrum, cum dupli podio et superbissimum exstruxit. Ad triclinii Caput Sybillarum sacellum e fornicate opere acuminatum statuit, ubi Sybillas omnes connumerare licet. In triclinio non modo omnes ex ordine Ungariae reges, sed progenitores Scythicos cernere est. Inter hos sequentes quoque effigies apparebant. Primo loco visebatur imago regia in throno dormitans; altero, imago quo-

---

i) Vide de his Bonfinium I. c. pag. 569 Georgium Pethő in Chronico Hung. idiomate hung. scripto, Anonymum in re Litteraria Hungariae pag. 27.



quoque regia, cujus ante pedes ignes diffusi urebant, enecabantque mortales: tertio, duo viri luctantes pro Corona Hungariae; quarto denique diadema sidari involutum k). Omnia tamen haec doctrinae Vitezianae monumenta, eundem cum Budensibus, quanquam paulo tardius sunt sortita eventum. Turcis Urbem Anno 1543 capientibus. l) Unius

k) Vid. Pethö l. c. et Nicol. Schmith Archiepiscopi Strigon. compendio dati Tom. I. pag. 271 seq. Non pauca quoque instrumenta Mathematica possedisse tantum Matheseos cultorem, a celeberrimis Mechanicis, in his a Joanne Regiomontano fabricata, nemo negabit. Huc referendus Gnomon seu Quadratum Geometricum ab Andrea Peurbachio constructum, cuius etiam fabricam, Canonesque et Tabulam hic, ad illius usum conscripsit, transmisitque. En Praefationem Peurbachianam ad Vitezium: Gnomonem, quem dudum fieri postulabas, optime Praesulum, ligno factum accipe. Post, si voles, ex metallo fiet alter, usui facilior, aptior et accommodatior. Nam illo jam perfecto, dam ejus usum exercerem in altitudinibus considerandis, via venit in animum, qua facilius effici potest opus, atque magis accommodatum. Exercitium enim est, quo reddimur doctiores. Nunc tamen donec alter absolutus veniet, ligneo contentus sis, cuius compositionem, usumque hic volui describere. Fiant primum &c. vide Vitam Peurbachii, Auctore Petro Gassendo Operum Tom. V. pag. 520. Cupiebat virum hunc eruditissimum quoque, ad aulam suam pertrahere, tum adhuc Episcopus Varadiensis Vitezius, amicus Peurbachii cordatissimus. sancte obtestatus, fore sibi omnia penitus cum eo communia: is tamen seu Academiae Viennensis amore, seu alia de caussa, non se dimoveri Vienna passus est. Cf. Gassend. l. c. pag. 521.

l) Nihil de reliquiis ejus uspiam memoriae proditum reperio. Ad hanc tamen, merito referendi plerique ii. (omnes dicere non possum, cum ex aliis privatis provenisse potuerint) qui ex Hungaricis spoliis vindicati, neque tamen insigniis Corvinianis notati sunt. Id ut dicam de Codice Mspt. de quo Comaromii Anno 1087 viso Jacobus Tollus in epistola Itineraria V. p. 148. facit mentionem, ob cultus libri externi luxuriam, quales Strigonienses fuisse ajunt, propendeo. Ita vero Vir Cl postquam templo Urbis hujus, quae praesens spectaverat, enumerasset, pergit: „Quartum (templum) est Rascianorum, in quo geminis et

Unius porro reperio fieri mentionem *Varadini* Episcopalis a Jano Pannonio, in Oneribus ejus edit. Budensis pag. 306 discedens illino *Strigonium*, auunculo Vitézio ad Archiepiscopem hinc promoto; ita valere jubet inter alia Bibliothecam:

Omnis sub nive dum latet profunda  
*Tellus*, et foliis modo superbum  
 Canae dum nemus ingravant pruinæ,  
 Pulchrum linquere Chrysium jubemur,  
 Ac longe Dominum valere ad Istrum  
 Quam primum o Comites viam voremus. —

Ac tu bibliotheca jam valeto  
 Tot claris veterum referta libris,  
 Quam Phoebus Patara colit relictæ,  
 Neo plus Castalios amant recessus  
 Vatum numina Mnemonis puellæ.  
 Quam primus o Comites viam voremus. —

Atque hæ sunt, de quibus cum certitudine dici potest, periodo Matthiae, bibliothecæ. Et quanquam non dubitem, alias quæque in regno instructissimas fuisse (quis etenim sibi persuadest, doctissimos illos Episcopos Vrbanum Doczy Agriensem, Thomam Erdódy Jauriniensem, Nicolam Báthori Vaciensem, Joannem Bohaemum Varadiensem, Joannem Pannonium, Ladislaum Vitézium, Ecclesias Cathedrales, et monasteria, aliosque eruditos Hungaros bibliothecis

---

auro preciosissimus et vetustissimus Sacrae Scripturae Codex Graecus adseratur, cuius antiquitatem, falso licet, ad ipsa Apostolorum tempora referant. Dignus omnino, si adhuc superstes, qui notior orbi erudito reddatur. Cf. de eo Cel. Christophori Matth. Pfaffii Dissert. de Genuinis Novi Testam. Lectionibus, inserta Syntagmati Dissertationum ejus Theol. Stugardiae 1720. in 8vo p. 85. qui tamen in eo labitur, quod aiat, in oppido S. Martini prope Jaurinum, eum existere, non accurate epistola Tollii, quam allegat inspecta.



thecis caruisse, neque se Regis ad exemplum Archique Praesulis composuisse) quia tamen nihil ad nostram earum pervenit memoriam, tacere, quam meritis niti conjecturis malui.

Sed ne limites propositos transsiliam, hic subsisto, et ad Vos Auditores, pro Statu et dignitate, profunda pietate collendi, me converto. Inclytus et Venerabilis Senioratus noster Comitatus hujus Gömör, tam exemplis supra expositis, quam utilitate publica et privata excitatus, Bibliothecam Ecclesiasticam condere instituit. Occasionem proximam expeditavit, et fundamentum posuit, Vir de Ecclesia nostra optime meritus Venerandus Dominus Fridericus Coroni, Ecclesiae Ratkoviensis V. D. Minister, et Inelyi ac Venerabilis Senioratus nostri a 28 Annis Senior utrobique dignissimus jam emeritus, qui Boni publici caussa, Bibliothecam suam eidem, donatione inter vivos contulit. Imitati sunt, ultro sponte Viri utriusque Ordinis litterarum amantes, tam intra, quam extra gremium nostrum frequentissimi, qui Symbolas suas, liberaliter contulerunt. Inter hos praecepue honorifice nominandus est mihi Vir Admodum Reverendus Georgius Sexy, Ecclesiae olim gremialis Nagy-Szlabosiensis, nunc Komlosiensis in Comitatu Békesiensi Pastor fidelissimus, adeo: ut complura voluminum millia jam numerentur. Tanto ergo haec nostra (esto, numero librorum a veteribus supereretur) prae his sanctior et castior: quod nulla hic spolia, nulla praeda, nullae manubiae, uti in Bibliothecis Aemilii Pauli, Luculli et Sullae Romanorum, in Cleopatrae posteriore Alexandrina, et in aliis existebant; Sed ex donis, justo titulo acquisitis, uti Veneta Cardinalis Bessarionis donum, Oxoniensis quanta quanta est, Cardinalis Mazarini, a potiori confidata est.

Simul ac fama haec, ad TE, Comes Illustrissime Leopoldi, Maecenas Litterarum munificentissime, de Bibliotheca hac condenda perlata est: ultro libenter, sine ullis persuationibus, et sponte hospitium promisisti, ac actu Aedificatione hocce sumtuosum, liberalissime, nullo privati commodi,

di, sed solo litterarum promovendarum studio, abdicato omni in id, in futurum jure, aedificari curasti, superior hoc nomine magnis illis Viris, quorum supra habuimus mentionem, Aemilio Paulo, Lucullo, Asinio Pollione, Ptolomaeis, immo Augusto Caesare et reliquis, qui quidem aedificia excitatabant bibliothecis condendis splendidissima, sed cuius Bibliothecis? propriis — Tu vero alienae, nullo (si dicere fas est) diversitatis Religionis nostrae respectu habito, exemplo hucdum in patria nostra prorsus inaudito, solo Litteras promovendi studio sumptus profundis amplissimos. Aemularis, Heros magnanime, Magnum illum Hungariae Porphyrogenitum, Serenissimum Caesareo-Regium Principem e coelo datum Palatinum Josephum, qui Museum illud Pestiese Nationale, omnibus ad Litteraturam Patriae pertinentibus Administriculis instruxit amplissime. Imitaris strenue magnum illum Ordinis TVI Magnatem Franciscum Szecsényi, Bibliothecam Libris a filiis patriae scriptis, aut ad res Hungariae pertinentibus, cum Nummophilacio ditissimo immanibus sumptibus comparatam, Patriae dulcissimae donavit. Sed non est id unicum TVVm in Litteras meritum. Comparasti, et in dies augere omni diligentia et pecuniae profusione sattagis Nummophilacium, cui in Hungaria pauca paria, nullum forte inter privatos patriae Cives, est superius. Perge hac etiam ex parte, illustrare Gentem TVAM perantiquam, et de re publica Patriae Politica et militari meritissimam ac Illustrum Andorandum, nempe Litteraria. Andoras ille, Ducum ex Scythia, qui prodierunt, sanguine cretus, familliae Vestrae (quantum scitur) origo, sub S. Stephano, post Gyulae Transilvani defectionem, Provinciae illius Regius Locumtenens, et Siculorum supremus Judex fuit. Filii ejus Józa, in bello contra Henricum Imperatorem circa Strigonium, alter Vida, contra Belam Ducem ad Tibiscum, in fidelitate erga Regem vitae finem fecere. Tertius Ladislaus, in Officio Patris, ejus post mortem perstitit. Alii alia in Transilvania laudabiliter gessere munia, quoisque in Hunga-



gariam major pars eorum transiit, ex' quibus Simon Andrási, sub Andrea Hierosolymitano in expeditione Sacri belli, Sicularum Transilvaniae militiae Capitaneus, sub Damietae Urbis oppugnatione, praefiens exercitum, telis hostium confossus est. Sigismundus, sub Ludovico I. Officium Vice-Bani Temesvariensis gessit, et tam in Transilvania ac Hungaria, quam Italia, servitia magna praefstitit. Ut alios innumeros ex Andrasiorum celeberrima Gente v. g. Bertham (seu Bartholomaeum) sub Joanne Hunyade ac Ladislao Rege, Baltasarem, sub Mattaia Corvino, Lazarum et Thomam sub Stephano Bathori, Martinum sub Joanne Zápolya, Petrum, sub Maximiliano II. qui ob fidelitatem Regi servatam, multa bona in Transilvania amisit, sed ideo ab eo Krasznahorkensi Dominio, ac Praesidii ejus Capitaneatu donatus est, Nicolaum, Matthiam, Petrum II. sub Leopoldo, taceamus non possum me continere, quin celebremus Comitem Carolum Andrási, Vestrum, Illustrissimi Domini, Patrem desideratissimum, qui sub Maria Theresia Augusta, inter primos fuit Hungariae Optimates, qui Thronum ejus, contra hostes potentissimos, eum subruere conantes, heroicis suis militaribus factis conservavit, et in sequentibus bellis confirmavit. m)  
Horum, quos hic breviter attigi, ut cum Virgilio Eccl. V. loquar,

Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit  
Dumque thymo pascentur apes, et rore cicadæ  
Semper honos, nomenque horum laudesque manebunt.

Quas Marte heroicae illæ animæ meruerunt, TV., Co-  
mes Illustrissime, Arte et Litteris es consecutus. Nempe

Cui genus a preavis ingens et nomen avitæ  
Clarum virtutis, proprii quoque gloria facti: n)

Macte

m) Vid. de his fusius Steph. Gyöngyösi Dedicationem Opusculi: Vjéletre hozatott Chariclia præmissam, ex editione Cl. Andreæ Dugonics 1796.

n) Ovidius ad Pisonem.

Macte hac virtute, Heros munificentissime! Eam Coëtanei Nos admiramus, veneramus: Aetas futura laudibus celebrabit nunquam intermorituris. Meritis (quod et fiet) ut exemplo Veterum, Imago TVA, in Bibliotheca hacce, loco inter reliquos ponatur primo, quae eam ornet et merita in eam TVA, in perpetuum praedicet. Quaecunque itaque conamur tenues grandia, cedant in Numinis Divini gloriae augmentum, ac Patriae carissimae et nostram omnium ac singulorum utilitatem. TIBI vero, Comes Illustrissime, pro praestito huendum ac in futurum etiam praestandis beneficiis, Senioratus noster ultro lubens profitetur se obstrictissimum. Coronidis loco Is, me interprete, ex intimis praecordiis promit Votum suum sincerum, non TIBI solum, sed Illustrissimis etiam Dominis, Domino Fratri Josepho, ac ex eodem Domino Nepoti TVO Carolo:

Candidus immensus donec Sol diriget Orbem  
 Donec inaccessus proferet astra Polus,  
 Andrassi Comitum, qui publica commoda quaerunt  
 Illustris semper stet, niteatque Trias!!!



## Appendix.

Qua continentur propter affinitatem materiæ, Animadversiones in Recensionem Libri, sub titulo: Conspectus Reipublicæ Litterariæ in Hungaria, ab initiis Regni, ad nostra usque tempora delineatus, Auctore Paullo Wallaszky (Editio altera auctior et emendatior) Budæ typis Universitatis Hungaricæ Anno 1808. Operi periodico inscripto: *Annalen der Litteratur und Kunst in dem Oesterreichischen Kaiserthum vom Jahr 1811. 10. und 11. Heft.* insertam, ex Germanica in Latinam lingvam translatæ, Auctore L. — J. \*

**A**nimadversiones hæc non prodiissent, nisi Dom. Recensens sumisset sibi licentiam, Opus hocce, magno cum partium studio judicandi, Domino Auctori multa plane falsa adscribendi, Lectorem in errorem inducendi, et alios a lectione libri deterrendi. — Vera partim, partim simulata ignorantia Objectorum pertractatorum, dictatoria præsumtio, inconvenientes requisitiones, neglectus puncti visionis, ex quo Auctor Opus scripsit, aperta et spontanea falsa, quo Auctorem gravaret, excessivum desiderium omnia exquirendi, quæ Auctori incommodo servirent, quæ eum ad illicita me.

---

\* Animadversiones hæc jam Anno 1812. Viennam, ad D. Redactorem Annalium illorum imprimendæ, missæ fuerant. Sed prius (uti is rescripsit) cum D. Recensente communicari debebant. Unde patet, quam DD. hi Recensentes Socii conjunctim agant, ut virgulam suam censoriam despoticæ exerceant, atque os contradicentibus obturent. Quare inventum est medium, quominus impressum, Mstum. remissum fuerit, nunc jam tandem in lucem publicam producendum.

\*

media seduxerunt, audaces affirmationes, sed nulla argumenta, multæ inanes repetitiones, falsæ objectiones, ut plura dixisse putetur, et lector non facile obliviscatur, adeoque minus sinceri affectibus servientes privati fines, sunt præcipui characteres huius Recensionis. — Sed ne accusemur, quasi honori D. Recensentis plus justo detractum eamus: extra partes positum lectorem rogamus, animadversiones nostras attente ut perlegat. Dominum Recensem vero presso pede sequemur. — Jam in Titulo libri D. Wallaszko Orthographicum Sphalma, in nomine *Paullus* exprimat, quod tamen ipse committit. Modo legisset Heineccii Fundamenta stili cultioris: multas Romanas Inscriptiones invenisset, in quibus Paullus, dupli, non vero simplici littera l, scribitur. Ideo celeberrimus suæ ætatis in Germania Ciceronianus, D. Ernesti in suis Operibus, et cum eo multi alii eruditi, Vocem hanc ita scripserunt. Illico initio suæ Recensionis incipit D. Rec. suos threnos ita, pag. 44. 45. „*D. Wall. in altera editione, veterem adumbrationem, cheu! immutatam reliquit. Istud est ex toto, ex Heumaniano conspectu Reipubl. Litterariae mutuatum, uti ipse in praefatione fatetur.*” Neutrū verum. Nam iste, ab illo toto cœlo distat. Est id indicium, Recensem Heumanum non legisse. Ut etiam falsum, Auctorem in praefatione id fassum esse, cum ne verbulum ibi existat. D. Recensem opportebat, ad obscuram lucem hac scripsisse; quod non bene viderit. Pergit deinde: „*Et inde evenit, quod Opus ejus, neque proprie Historia Litteraturae Hungariae, tanto minus est Litteraria,*” D. Recensens itaque facit distinctionem, inter Litteraturæ et Litterariam Historiam, quæ tamen nihil realis in se continet. Illa de Scientiis agens, non poterit sine hac, nempe eruditis tractari, et vice versa. Ergo objectio ejus est sine fundamento. „*Sed (ait) intelligenti (imprimis qualis est D. Rec.) defectuosum et non satis faciens Amalgama.*” In proprio sensu verbi omnino: nam amalgamatio est secretio nobilioris metalli ab ignobili. Secundum

dum eum, sunt omnia Lexica eruditorum, Nova Litteraria Amalgama. — Jam accedit ad Praefationem Operis, in qua D. Auctor internam Operis Oeconomiam delineat. Sed, quoniam Rec. sibi proposuit omnia vituperare: nihil ei placere potest. Methodus fuerat ex ejus conceptu instituenda. Quod D. Auctor inferiores Epochas, secundum Sæcula subdiviserit, est ei peccatum. Nam dicit pag. 45. „*Id est error.*„ Hunc errorem errarunt maximi Historici, qui secundum Epochas scripserunt, et tamen in subdivisionibus Sæcula observarunt, v. g. Mosheimius, Schroekh in sua Historia Religionis, Ecclesiæ Christianæ etc. Sed Rec. melius intelligit! Porro ait: „*Auctor dividere debuisset secundum Eventus Epochas facientes.*„ Recensentis excessiva cupiditas culpandi omnia, impedivit eum videre, aut data opera noluit profiteri, Auctorem Periodos principales ita divisisse, dum dicit: Conspectus integer duabus dispescitur Partibus. Prior ante, posterior, post venatas Litteras continet Historiam. In illa, Sectione priore, de Litteratura Hunno-Hungarica; posteriore, post susceptum, egimus Christianismum, cet. Nonne sunt hi Epochas facientes Eventus?!! Quod D. Auctor inferiores subdivisiones secundum Sæcula instituerit: ad id habuit fundatas rationes: nempe, ne, quod factum est Sæculo XI. XII. quæratur Sæculo XIII. XIV. Pergit porro: „*Et Historiam singularum Scientiarum pertractare debuisset.*„ Respondetur, methodum scribendi Historiam (uti et alias) esse arbitriam. Est chronologica, alphabetica, qualia sunt Lexica, alia, secundum scientias instituta, critica. — Nemini incidit, ut culpet methodum, quam hic vel ille, pro suo arbitrio elegit: saltim noster D. Censor absolute vult, ut etiam ejus voluntati satis fiat. Interim, quamcunque methodum eligamus: quævis habet sua commoda, et defectus. D. Auctor proposuit secundum ejus propositum, ita scribere, ut pleraque, quæ ad Remp. Litterariam in Hungaria spectant, breviter dicere potuisset: Nam scripsit Conspectum *Reipublicæ Litterariæ* in Hungaria.

garia. Sed si solam scripsisset Historiam Scientiarum (uti Censor vult) ubi observari potuissent Mæcenates, Universitates, Gymnasia, Bibliothecæ, Typographiæ, Bibliopolæ, et alia miscellanea? Quod D. Recensenti Litteratura Hunno-Scythica pag. 45. 46. *,figmentum sit*, aut, ut se exprimit pag. 54. *eo habenda sit loco, quo Bibliothecæ antediluvianæ*, refutat eum Conspectus Operis, ubi nullæ conjecturæ, sed testimonia authentica autoptarum, Prisci Rhetoris, Stephani Székelyi, Olahi, Joannis Turoczii, Simonis de Keza, quæ pag. 62. producuntur. Hunnos et Hungaros, duas esse Tribus, credo, et D. Auctor etiam; sed fuisse unam eandemque Nationem, quæ una, eademque lingua utebantur, docent (quod Historici confirmant) Vide Otrokoyi Origines Hungaricos Tomo I. Cap. VI, Siculi in Transilvania, priorum reliquiæ. — Non placet D. Recensenti pag. 47. quod D. Auctor *,primo loco, singulo Saeculo, Mæcenates, denique eruditos locaverit.*, Ergo inverso ordine? Hanc Politicam nos ignoramus. Sane fuisset conveniens, primum D. Recensem, denique Mariam Theresiæ, aut Josephum II. collocare!! — Ulro vult is *,ut etiam Commercium, mox florens, mox labescens adduxisset Auctor,* Risum teneatis amici! In Historia Litteraria? Objicit denique Auctori: *,Quid juvat catalogus eruditorum, in quavis Scientia, si fata eorum pragmatice non referantur?*, Respondetur, Auctorem, multorum etiam Auctorum opera recensuisse, et ubi secundum intentionem ejus fieri non potuit (nam *Conspectum* scripsit Historiæ Litt. non Systema) in Prolegomenis fuse, ubi querenda sint notavit, v.g. Czvitinger, Bod, Horányi, Sándor, Catalogus Szechinianus, Seifert, Cornides, Barics, Barichovich, Csatári, Kerchelich, etc. Postquam D. Wallaszky narravit, se post eruditos, etiam Universitates, Gymnasia, eruditas Societates, Bibliothecas et vehicula Disciplinarum, nempe Typographias et Bibliopolia adjunxisse; promit judicium suum p. 47. Recensens inquiens: *,Quod haec Vehicula Disciplinarum, in Historia*

ria Litt. non ultimum locum occupare debeant, patet sponte  
euvitis,, Nemini, nisi ipsi. Ubi ergo locanda? Ante reliqua? Sed jam Scientiis fid honoris tribuit, aut ante Mæcenates? aut in medio? Sane, idum hæc vana legit homo, cogitur subridere. Esset ista elegans methodus! Auctor illos solummodo eruditos, qui in Hungaria aliquamdiu vivebant, in numerum eorum inscripsit; alios Hungaros natos, qui extra Hungariam vitam transegerunt, exclusit. Rec. pag. 48. dicit: „*Id probare non possum. Quare enim*, inquit *Zachius Gothaer*, (qui tamen pag. 337. Conspectus Reipubl. Litt. laudatur) *hungarice scribens Zehentner Pragæ* (etiam iste adest l. c. pag. 358. Quam minus conscientiose agit Recensens!) *Feszler, Brede茨ky inter eruditos Hungariae numerari non deberent*,? Ideo, quia Auctor scripsit Conspectum Reipubl. Litt. in *Hungaria*: isti vivunt extra *Hungariam*, et ibi inter eruditos eiates assumentur. Jam objicit Rec. Auctori ignorantiam, et laudat quosdam eruditos pag. 48. quos non notavit. Sed in *Conspectu*? Quis prudens id desideret? In spizzo Systemate est vix possibile, omnes scriptores totius Nationis producere. Ad hæc alii sunt citati ex. gr. Bessenyei pag. 359. alii sunt extra Patriam, alii nunc initiantes Scriptores, non pertinent ad hanc Epocham, alii, exceptis duobus, sunt Dii minorum gentium. Exempla producere est odiosum. Auctor potuissest ita, uti Rec. ex Szechiniano Catalogo, omnium illorum Scriptorum exscribere nomina: et revera plus laboris subiit in selectu dignorum ab indignis faciendo, quam in quærendo. — Porro non adprobat Rec. quod Cl. Auctor Philosophiam a Scientia Naturali et Mathesi non separaverit. Sed nonne sunt hæc, Philosophiæ latiori sensu sumtæ, etiam partes? Vituperat porro, quod Historiam hungaricæ et slavicæ lingvæ Auctor neglexerit. Hæc objectio est injusta. Lector inveniet, ab initio Operis ad finem, ad eam multa materia, v. g. *integra prima Sectio*, ubi de Prosaistis, Poëtis, Grammaticis, Historicis et Philologis agitur. „*Citat*, D. W. inquit.



inquit porro Cl. Recensens, pag. 50. *multos eruditos, quorum Nomina sunt laudata, sed eorum Scripta non sunt notata.*, Etiam hic non bene vidit: v. g. Reviczky cuius Scripta vide pag. 354. laudata, Schvarzii, p. 22. Izdencii p. 158. Sed revera, quomodo potest id Rec. serio requirere? Auctorem opportuisset spissa Volumina, non *Conspectum* scribere, si Opera omnium recensere voluisse. Satis, quod (uti supra monitum) significaverit, ubi invenienda sint. Plane id Rec. est offendiculo, quod Auctor, quominus plura, uti voluit, praestare possit, se inter alia, laboribus Vocationis suæ, in Præfatione Editionis novæ excusat, et quod fidem datam, se in editione futura, librorum, singulo Sæculo, in singulis Scientiis — expromturum recensionem criticam, revocare cogatur, et addit: „*Munus Pastorale in Pago multas liberas horas concedit.*”, Sane! secundum nostram Constitutionem, Viro 71. Annorum, qui in Ecclesia sua 3000 animas procurandas habet. Recensens etiam data opera, quod in eadem Præfatione additum est; *aetas celeri gressu ad occasum ruens*, subticuit: et iterum p. 51. ubi caussam ignorantiae recentioris Litteraturæ Auctoris, situi ejus obscurio in Ecclesia *Pagensi* tribuit. Ergo Jolsva est Pagus!!! Plane talis, uti Rosnavia, Dopscha, Csetnek, etc. Ista est insignis Notitia topographica eruditii Recensentis!! Si affectus melius videre permisisset, legisset in Præfatione: Scribebam Jolsvæ *Oppido montano Comitatus Gömör*. Isti sunt revera athletici saltus! Voluit nempe per id significare: non possidere aptitudinem, quidpiam eruditii scribendi Pastorem Paganum. (Sed multos ego novi Pastores Pagenses eruditos, qui magnarum etiam Civitatum Ecclesiis ornamento essent, impri-  
mis nunc, cum Civici libenter ad Pagos transeant) Id demon-  
strat ejus etiam consilium pag. 51. inquiens: „*Aucto-  
rem opportuisset meliora subsidia quaerere.*”, Quod ea Au-  
tor habuerit sufficientia: docet Opus ipsum ubique abun-  
de. „*Exempli gratia, Catalogum Szecsinianum Bibliothecæ  
Regni-*

*Regnicolaris, Sandorii Magyar Könyves Ház., Contra propriam scientiam vult lectorem ignorantem, in errorem inducere, quasi Auctori essent ignoti: cum tamen in Prolegomenis Conspectus pag. 30. 37. fuse eos recensuerit et iis usus fuerit. „Nostros Annales, quos ignorasse penitus videtur,: Plane hæc falsa opinio ei imposuit: quod falsa ejus recensio, sine reputatione manebit, et calumniæ non producentur in apricum: „Hallensia et Lipsiensia nova Litteraria., Quod factum est, ad id non est consilium necessarium. Recensens scivit id ex Conspectu ipso v. g. pag. 94. et tamen negat. Auctor legit Jenensis et post Hallensis ultra 30. Annos continuo, non minus Viennensis. An vero Rec. ipsa legat, est quæstio. Saltim ex integra Recensione non apparet; ut unum saltim locum ex eis, aut aliis periodicis Scriptis, vel correxisset vel auxisset. Tota ejus litteraria notitia, quantum patet, provenit ex Catalogo Szecsiniano. Quod facile probari potest. „Et subsidia eruditorum amicorum inter Professores et suos Confratres in Civitatibus requisivisse, — Quid scit D. Recensens, ubi Cl. Auctor Consilia petiit et accepit: saltim ab eo non. Inveniet horum indicia lector in Opere suo passim. Aut estne in genere verum? quod quispiam consilium ferre possit, quoniam est Professor, aut Pastor civicus? Non cujusvis hæc est Vocatio. D. Recensens pergit consulto lædere Auctorem: cum pag. 51. 52. dicit: „Plures Hungaricos Auctores allegat qua vivos, et precatur eis incoludem sanitatem, esto jam pridem sunt mortui. Etiam est documentum; quod annuntiatorias plagulas nostrorum Annalium, ac Hallensium, Jenensium, et Lipsiensium Novorum Litter. non legat.,, Singula hæc verba indignationem excitare debent apud homines honestatis saltim externæ studiosos. Talis Censor sub clypeo anonymitatis securus debuit omnem sensum justi et honesti abnegare, qui Reipubl. Litterariæ consulto imponere intendit. Quare ergo eruditos illos Viros nomine tenus non produxit: id quod certo pro sua vituperandi libi-*



libidine fecisset, si sciret? In Opere posterioris editionis Anni 1808. non verbum de eo invenitur. Sed audiat lector et judicet! Verba hæc prostant in Opere Conspectus, editionis prioris Anni 1785. pag. 24. ubi Doctissimi condam Horanyii Memoria Hungarorum — cum adhuc superstes fuisset, recensebatur, atque Auctor sequentia verba addidit: Viro cl. et nobis amicissimo, ad patriam ornandam et Rempubl. Litterariam promovendam, vitam longævam et vires intemeratas ex animo precamur. Jam Recensens fide pessima simulat, quasi novæ Editioni Anni 1808. inessent verba hæc; quamquam etiam anno hoc vixerit, et Anno demum 1811. mortuus sit. Lector benevolus jam de fidedignitate talis Recensentis, etiam in aliis Correctionibus quid credendum sit, ex hoc facto judicet. Nos avertimus oculos ab animo tali. Saltim adhuc notandum, quod omnes consequentiæ, quas inde dicit, falsæ sint. — Licet Recensenti (ut vult) Adumbrationem totam Operis W. rejicare; sed est vox viri unius privati: eodem jure rejiciunt multo plures alii ejus crisin et Recensionem. Secundum eum deberet Photius cum suo Miriobiblo, Frisius, Lambecius cum Prodromo Historiæ Litt. Jonson, Adami, et alia recentiora eruditorum Lexica, quæ hanc methodum secuta sunt, jejuna scripta esse. Declarat tamen Recensens, *Opus usui esse posse* (credo: quoniam ipse utetur eo, aut usus est in suis operibus, quin nominaverit) sed addit „ideo saltim, quoniam nulla melior *Historia Litter. in Hungaria* (imo nulla) prodiit. — Recensens accedit jam ad ipsum Opus et promittit correctionem erratorum, (mox videbimus quot) atque addit: *Correctionem omnium errorum, et suppletionem defectuum non admittit spatium plagularum harum.* Eruditus Recensentis est officii, id præstare, saltim ex parte, si melius intelligat: sed hic verosimiliter deficiebat. Cum in vituperando tam sit liberalis, et eandem rem decies, sine necessitate repeatat; certo argumentis evinceret, si sciret. Monet Auctorem, cum Moldaviæ et Valachiæ

c hiæ Litteraturam attigerit: debuisse eum etiam Litteraturam Galliciæ, Serviæ, Bosniæ et Bulgariæ prosequi. Sed Auctor promisit solius *Hungariae* historiam (quod etiam præstítit) quod adjecerit duas illas provincias factum est, quasi per lancem saturam arbitrarie, non ex obligatione. Ridicula est postulatio Recensentis, ut cum Auctor statum Scientiarum in Hungaria, ex statu earum in Academiis Germaniæ, Italiæ, Hollandiæ — ad quas studiorum causa Juvenes Hungari commeare solent, in genere derivaverit: ut is (inquam) præcipue Göttingensis et Jenensis merita (forte ipse ibi studuit) retulisset. Tali ratione debuisset fere omnes earum Regionum describere: quia paucæ sunt, quas Juvenes Hungari non adirent. Sed hic scribitur historia Hung. non Germaniæ litteraria. Misera culpandi cupiditas! Incipit jam ipsum Opus recensere, et in Partis prioris Sectione I. de Litteratura Hunno-Scythica repetit iterum moleste falsam suam opinionem, quam superius refutavimus. In Sectione II. a Seculo XI. ad XVI est admiratione et compassionē dignum: quod toto hoc longo tempore, non unam emendationem aut supplementum (uti amplissime supra promiserat) interseruerit. Saltim exprobrat Auctori, pag. 54. quod *Dissertationem Cl. cond. Cornideffii, de Anonymo Belae R. Notario* (quod tamen falsum est) non legerit, et de *Cotomano Librifero plura non dixerit*, „Quare vero ipse (uti promisit) non fecit? Ad hoc spatium temporis (ut videatur aliquid ignoti dixisse) addit data: „*Hungarica Biblia versa a Ladislao Báthori, et Epistolas Ap. Pauli.*„ Sed frustra hæc afferit; cum ab Auctore sint præoccupata in Conspectu pag. 97. 146. seq. Non scio, qui fiat, quod D. Recensens raro clare videat, quod in Conspectu scriptum est, et alias referat. Ita pag. 55. dicit: „*Eo (XV.) Seculo faere eruditæ Societates Budæ et in Transilvania: sed non ita fuerant constitutæ, ut hodiernæ, earum membra plerumque conveniebant;* ut invicem *Carmina prælegerent, et symposia agerent. Id non citat D. W.*„ Sane tristis est facies fidedignitatis et honoris talis \*



talis Recensentis, qui talia falsa, pro veris venditare, coram erudito orbe audet. Auctor ostendit ex auctoribus oculatis fuse in Conspectu pag. 119 — 121, quod Socii hi Physicam, Astronomiam, Mathesim, Poesim, Oratoriam, Historiam, Cæsareum et Canonicum Jus diligenter tractaverint. Omnino non deerant etiam Symposia. Et tamen *tacet de his D. W.* ait Recensens!! Vide de his fusius agentem eundem Cl. Paulum Wallaszky in Dissertatione: Tentamen Historiæ Litterarum sub Rege Mathia Corvino, in Hungaria. Lipsiæ 1769. in 4-to D. Recensens procedit ultiro, ad Partis Posterioris Sectionem I. quæ tradit Conspectum Reipubl. Litterariæ, a renatis ad restauratas Litteras, seu An. MDCCLXX., integris, 16. 17. 18. Seculis, sed in quibus D. Recensens non plura potuit facere supplementa et correctiones, quam sequentem unam, pag. 60, quæ tamen etiam cessit infeliciter: quod in Comitatu Gömöriensi, non 5. ut auctor dicit, sed 8. Officinæ Chartariæ existant. Et tamen errat Recensens. Auctor scripsit, cum nondum Comitatus His-Hont. unitus fuisset cum Gömör. Etiam in præsens sunt in hoc 6. in illo vero 3. ergo non 8. sed 9. Ultro dicit Recensens: „*A pagina 285. usque ad 365. (363) procedit Catalogus Eruditorum et Scriptorum Hungariae 18. Seculi, quem Auctor ad nostra usque tempora continuavit.*” D. Recensens contradicit sibi: cum dicit superius, auctori recentiore litteraturam esse ignotam: cum tamen 78. paginas eruditis et scriptoribus in variis scientiis completere potuerit. Pergit porro: *plures laudatorum Scriptores, Seculo demum 19. produci debuissent.* Sed nonne hi Seculo etiam 18. vixerunt? et propter Annos 7. non fuit pretium operæ, novam subdivisionem facere. Objicit Rec. p. 205. „*quod D. W. Scriptores, qui sub Regimine Mariae Thereseiae et Josephino de perficienda Poesi et Prosa linguae Hungariae bene meriti sunt, ut et ipsorum Opera fere ex integro silentio praeterierit.*” Iterum neglectus veri. Nonne sunt in opere pag. 354. seq. laudati Scriptores ex hac Epochæ?

Co-

Comes Joannes Lázár, Bessenyei, Baróczi, Steph. David, Daniel Szabó, Comes Josephus Teleki, Reinisch, Péczeli, Adam Horváth, Kazinczi, Gvadányi, Virág, Versegi, etc. qui omnes, et eorum Opera multa laudata sunt. Jam vult Rec. Auctori pag. 205. ostendere, quomodo debuisset Historiam Litterariam, secundum Scientias pragmaticae tractare, et assumit exempli causa Hungaricam Poesim et Prosaem. Fateri cogor, me, erga D. Recensem compassione duci debere: quod tale elumbe, vanum galimathias exemplar proponere audet. Producit aliquot Hungarianos poetas, et eorum translationes ex Gallico et Germanico idiomatico, atque crisi subjicit in genere. Sed quomodo? „*Dieser schreibt elegant, jener nicht methodisch, belesen, es herrscht Unordnung und Verwirrung seiner Begriffe: dieser schreibt nichts Originelles, jener viel Schwankendes; dieser schwülftig und überladen, jener altväterisch: dieser ohne Werth, jener schreibt eine verunglückte Übersetzung: dieser lieblich, sanft, und zart, jenes Syntax ist geschaubt, die Sprache holpricht, und ungefällig: bey jenem findet man nichts von Geschwülft, nichts von Geschraubten: bey diesem blickt der Debrecziner mendikás tonus hervor.*” — — — Hæc sunt propria ejus verba, et de cætero nihil. Talia sunt ex judicio ejus Pragmatica Historia Scientiarum?!! Neque addit (paucis exceptis) cuius generis sint Carmina, quæ crisi subjicit, an elegiaca, vel lyrice, an epica, vel jambica, comica, an tragica, aut satyrica? Lector dum perlegit, scit tantum quantum olim. Scientiæ lucrantur nihil. Recensens nulla producit argumenta et exempla, quibus sententiam suam probaret. Oportet credi verbis ejus nudis. Et quid? si auctor historiæ litterariæ sit idiota (nam eo, ut fundate de omnibus scientiis judicium ferre possit, magna polymathia est necessaria) aut partium studiosus (uti in præsenti Recensione) quid boni et utilis potest expectari ab eo? Si is Morhofii, Paschii, Stollii et aliorum pragmaticam Historiam Scientiarum legisset: ibi vidisset, quid illa re-



quirat. Exspectabam secundum promissum, Historiam pragmaticam Prosaistarum hungaricorum. Sed vix tres ex tanta copia producere potuit, et de eorum Operibus nulla mentio. D. Recensens committit iterum scienter morale mendum: dum pag. 214. ait: „*D. W. errat, cum pag. 397. Directorem Georgici Keszthelyiensis, Joannem Asboth, qua Professorem Physicae, Historiae Naturalis, Chemiae, Physiologiae et medicinae Veterinariae dicit; quia potius, qua Professor Oeconomicae, Technologiae et Politiae Oeconomicae docebat:,,* cum tamen in Conspectu legibiliter, pag. 397. impressum sit: Cl. J. Asboth — eo vocatus 1801. edidit, qua Georgici Keszthelyensis Director, Oeconomicæ et Technologiae Professor Orationem. — — Alia ibidem vigentia Instituta, utpote rei sylvanalis, venationis, equariæ, dum Auctor scribebat, nondum erant introducta, itaque eorum mentionem facere non potuit. — Quod Auctor inter Miscellanea pag. 217. Relationes Novorum, Magyar Hirmondó, Magyar Kurir, et Rosemanni Europam non meminerit, ratio est: quod non in Hungaria, sed Viennæ prodierint. Hazai Tudosítások et Ephemerides Statistico-Politicæ, a Belnaio, cum Auctor scribebat, nondum existebant. Ponsiensa Germanica Nova (dicit Rec.) a longo jam tempore, non amplius edit Talyai. Sed a quo tempore? Oppotuissest annum nominare, quem verosimiliter ignoravit, et tamen alium refutare vult. Sed cui bono hæc omnia? Id significat muscas captare.

Jam devenit D. Censor ad Epocham Reipl. Litter. a restauratione Litterarum, i. e. ab Anno 1770. ubi (uti dicit) Auctor fusum facit Extractum tam ex Theresiana Ratione Educationis, totiusque Rei litt. per Regnum Hungariae quam ex ea, quam Regnicolaris postea Deputatio, ex mandato Comitiorum Anni 1791. concinnavit.,, Sed posterior hæc ei non placet. At quomodo negligi poterat Opus publicum. Si Auctor neglexisset, quantos cieret clamores merito.

to, quod Publica Acta Litteraria sint neglecta. Utramque  
 volebat Auctor comparare; ut judicium ferri possit (sicut  
 is pag. 542. observat) ut discrimen utriusque, et utra alteri  
 præstet? pateat. — Ultimo, non potest D. Recensens pene-  
 trantem suam displicentiam supprimere pag. 217. 218. di-  
 cens: „*Dolendum quod Auctor noster in hoc Opere, se Theo-*  
*logum et hyperorthodoxum pastorem esse prodat.*„ Prioris ti-  
 tuli, non eum pudet, posterior, scomma est, gravi Cen-  
 sore indignum. Optandum foret: ut is etiam in hac Re-  
 censione, ex parte morali, hyperorthodoxus esset. Pergit  
 „*Nam non solum libenter immittit se in longas polemicas O-*  
*perum Catholicorum Theologorum criticas..*„ Saltim semel,  
 cum pag. 288. librum exegeticum epocham facientem recen-  
 suisset, sed non fuit stricte polemia, verum philologicæ  
 observationes (*sed est plane de meritissimo Professore Schwart-*  
*nero pag. 317. acerbum judicium: Si Auctor (nempe Cl.*  
*Schwartner) pag. 317. contemnit librorum de Vero Christia-*  
*nismo Arndii (ut is in statistica Hungariæ scripsit) pro cha-*  
*raktere illuminationis religiosae habeat: vereor, ne proxime*  
*biblicus Christianismus in philosophicum transformetur. Sed*  
*Deus meliora! Non eousque processit illuminatio apud Evan-*  
*gelicos..*„ Addit Recensens, id esset triste, sed nullam ad-  
 dit caussam, quare triste? Continuat porro: „pag. 38. 533.  
 538. *precatus fuisse, majorem rei scholasticae Seculi XVI.*  
 et *XVII. notitiam et stili gravitatem, qui proxime ad Sar-*  
*casmos accedit. Revera peccati Originalis (de quo agentem*  
 Doct. Pomarium Eperiessini exagit) effectus..“ Si D. Re-  
 censens, objectam rei litterariæ ignorantiam in præsens  
 fundate refutasset, res esset in yado. Porro exclamat:  
 „*Quam libenter quiddam Pastores condemnant!* Responde-  
 tur: non esse condemnationem, sed correctionem et cau-  
 telam. — Penes hanc periocham cogimur fateri: Hinc illæ  
 lacrymæ! nisi ista eum momordissent: longe alias integra  
 Recensio instituta fuisset. — Longe alias et justius eruditii  
 Editores Jenensium Litterariorum Novorum priorem imper-  
 fec.



fectiorem Conspectus hujus Reipubl. Litterariæ in Hungaria Anni 1785. Editionem dd. 14. Septembris ejusdem Anni Número 218. recensuerunt, et judicium tulerunt, omnino sine ira et odio. Verba eorum appono: Der Inhalt des ganzen Buches ist so reich, die Untersuchungen, wo sie der Verfasser anstellt, so bedachtsam, und die historischen Anmerkungen über gelehrte Bücher, Bücherwesen, und Schulen, so unterhaltend, neu und belehrend: dass wir versichern können, der Literator werde es nicht ohne Nutzen und Vergnügen, aus der Hand legen. — Sed ad rem! Scio certo, quod Cl. Auctor merita Cl. D. Professoris Schwartner in *Scientias magnificat et aestimet*, et ei in Opere suo pag. 317. convenientem ac dignam laudem tribuerit. Sed aestimatum id non imponit ei obligacionem, quominus defectus ejus et errata ostendat. Doleo, quod monere debeam, eum tractare viros meritissimos il-liberaliter et aspere, et deridendos propinare, v. g. h. Arndtum in recentiori Statisticæ suæ editione Tom. III. pag. 476: pium *Rosaæcrucianum*, per convitum compellat. Quod vero Librum ipsum de Vero Christianismo, revera ppi hujus Viri attinet: ut non plura de utilitate ipsius, ex eo ipso afferam; id unum dico, vix esse Nationem Evangelicæ religioni addictam, quæ non in proprium idiomam, plane in Malabaricum in Asia transtulisset, et non infinitis vicibus editio repetita fuisset. Quod D. Cl. Schwartner, aliis occupatus, ex eo se ædificare non possit: non est consequens, ideo esse inutilem, et aliis minus proficuum.

Quod Stilus Auctoris non ex toto classicus sit et ab erroribus immunis: eatènus se in Præfatione p. XVIII. præmunivit, et ita apparet, Recensem, penes insatiabile illud desiderium, omnia in Opere hoc minima quoque criminandi, etiam hic non neglexisset, si deprehendisset: ut id in Verbo *Paullus* evenit. Sphalmata typographica non Auctori sed hypothetæ et correctori sunt adscribenda.

Cæ-

Cæterum, de Recensione hac, tam ex parte scientifica, quam morali, ultro lubenter, lectori permitimus judicium.